

LETTERATURA LATINA 2
Anno accademico 2023/24
(lettere M – Z)

Prof. Daniele Di Rienzo

CALENDARIO DELLE LEZIONI

	DATA	ARGOMENTO
1	4/10/2023	Introduzione alla letteratura e al clima culturale dell'età giulio-claudia. Intellettuali e potere: il ruolo della filosofia stoica.
2	5/10/2023	La figura di Seneca tra <i>negotium</i> e <i>otium</i> . Temi filosofici dalle opere maggiori. La produzione drammatica.
3	6/10/2023	Traduzione e commento di passi dal <i>De brevitare vitae</i> .
4	11/10/2023	Traduzione e commento di passi dal <i>De brevitare vitae</i> .
5	12/10/2023	Traduzione e commento di passi dal <i>De brevitare vitae</i> .
6	13/10/2023	Traduzione e commento di passi dal <i>De brevitare vitae</i> .
7	18/10/2023	Traduzione e commento di passi dal <i>De brevitare vitae</i> .
8	19/10/2023	Lucano: un <i>epos</i> di rottura con la tradizione. La tecnica antifrastica. Il proemio.
9	20/10/2023	La lettura dell'esametro. L' <i>aristia</i> di Sceva: traduzione e commento dal VI libro del <i>Bellum civile</i> .
10	25/10/2023	L' <i>aristia</i> di Sceva: traduzione e commento dal VI libro del <i>Bellum civile</i> .
11	26/10/2023	L' <i>aristia</i> di Sceva: traduzione e commento dal VI libro del <i>Bellum civile</i> .
12	27/10/2023	La questione petroniana. Un nuovo genere letterario. Petronio tra realismo linguistico e strategie narrative.
13	8/11/2023	L'età flavia. Quintiliano e il ruolo della retorica. Il dibattito intorno alla decadenza dell'oratoria. Il <i>Dialogus de oratoribus</i> di Tacito.
14	9/11/2023	L'evoluzione della satira: dall'ironia di Persio all' <i>indignatio</i> di Giovenale.
15	10/11/2023	L'epigramma e il suo rapporto con la tradizione greca e latina. Traduzione e commento di epigrammi dal libro V di Marziale.
16	15/11/2023	Traduzione e commento di epigrammi dal libro V di Marziale.
17	16/11/2023	Traduzione e commento di epigrammi dal libro V di Marziale.
18	17/11/2023	Tacito: componenti concettuali dell' <i>Agricola</i> ; il metodo storiografico; l'ideologia del principato nelle <i>Historiae</i> e negli <i>Annales</i> .
19	22/11/2023	Partecipazione al workshop sull'epistolografia antica.
20	23/11/2023	Traduzione e commento dalla <i>Germania</i> di Tacito.
21	24/11/2023	Traduzione e commento dalla <i>Germania</i> di Tacito.
22	29/11/2023	Traduzione e commento dalla <i>Germania</i> di Tacito.
23	30/11/2023	Traduzione e commento dalla <i>Germania</i> di Tacito.
24	1/12/2023	Apuleio tra retorica, filosofia e misticismo. <i>Le metamorfosi</i> .
25	6/12/2023	Introduzione alla letteratura latina cristiana. <i>Acta martyrum</i> e <i>Passiones</i> . Gli apologisti: Minucio Felice e Tertulliano.
26	13/12/2023	La poesia latina cristiana: Damaso, Prudenzio, Paolino di Nola, Giovenco, l'innografia ambrosiana.
27	14/12/2023	Ambrogio e Simmaco: la questione dell'ara della Vittoria. Girolamo e la <i>Vulgata</i> : teoria e prassi della traduzione.

Immo humiles amici. 'Servi sunt.' Immo conservi, si cogitaveris tantundem in utrosque licere fortunae.

Lezioni 3-7

SENECA DE BREVITATE VITAE

I

Maior pars mortalium, Pauline, de naturae malignitate conqueritur, quod in exiguum aevi gignimur, quod haec tam velociter, tam rapide dati nobis temporis spatia decurrunt, adeo ut exceptis admodum paucis ceteros in ipso vitae apparatu vita destituat. Nec huic publico, ut opinantur, malo turba tantum et imprudens vulgus ingemuit: clarorum quoque virorum hic adfectus querellas evocavit. Inde illa maximi medicorum exclamatio est, "vitam brevem esse, longam artem"; inde Aristotelis cum rerum natura exigentis minime conveniens sapienti viro lis est: "aetatis illam animalibus tantum indulgisse ut quina aut dena saecula educerent, homini in tam multa ac magna genito tanto citeriorem terminum stare." Non exiguum temporis habemus, sed multum perdimus. Satis longa vita et in maximarum rerum consummationem large data est, si tota bene conlocaretur; sed ubi per luxum ac negligentiam diffluit, ubi nulli bonae rei inpenditur, ultima demum necessitate cogente quam ire non intelleximus transisse sentimus. Ita est: non accipimus brevem vitam sed facimus nec inopes eius sed prodigi sumus. Sicut amplae et regiae opes, ubi ad malum dominum pervenerunt, momento dissipantur, at quamvis modicae, si bono custodi traditae sunt, usu crescunt, ita aetas nostra bene disponenti multum patet.

II

Quid de rerum natura querimur? Illa se benigne gessit: vita, si uti scias, longa est. At alium insatiabilis tenet avaritia, alium in supervacuis laboribus operosa sedulitas; alius vino madet, alius inertia torpet; alium defetigat ex alienis iudiciis suspensa semper ambitio, alium mercandi praeceptis cupiditas circa omnis terras, omnia maria spe lucri ducit; quosdam torquet cupido militiae, numquam non aut alienis periculis intentos aut suis anxios; sunt quos ingratus superiorum cultus voluntaria servitute consumat; multos aut adfectatio alienae fortunae aut suae querella detinuit; plerosque nihil certum sequentis vaga et inconstans et sibi displicens levitas per nova consilia iactavit; quibusdam nihil quo cursum derigant placet, sed marcentis oscitantisque fata deprendunt, adeo ut quod apud maximum poetarum more oraculi dictum est verum esse non dubitem: "exigua pars est vitae qua vivimus." Ceterum quidem omne spatium non vita sed tempus est. Urgent et circumstant vitia undique nec resurgere aut in dispectum veri attollere oculos sinunt, sed mersos et in cupiditatem infixos premunt. Numquam illis recurrere ad se licet; si quando aliqua fortuito quies contigit, velut profundum mare, in quo post ventum quoque volutatio est, fluctuantur, nec umquam illis a cupiditatibus suis otium est. De istis me putas dicere quorum in confesso mala sunt? aspice illos ad quorum felicitatem concurritur: bonis suis offocantur. Quam multis divitiae graves sunt! quam multorum eloquentia et cotidiana ostentandi ingenii occupatio sanguinem educit! quam multi continuis voluptatibus pallent! quam multis nihil liberi relinquit circumfusus clientium populus! Omnis denique istos ab infimis usque ad summos pererrata: hic advocat, hic adest, ille periclitatur, ille defendit, ille iudicat, nemo se sibi vindicat, alius in alium consumitur. Interroga de istis quorum nomina ediscuntur, his illos dinosci videbis notis: ille illius cultor est, hic illius; suus nemo est. Deinde dementissima quorundam indignatio est: queruntur de superiorum fastidio, quod ipsis adire volentibus non vacaverint! Audet quisquam de alterius superbia queri qui sibi ipse numquam vacat? Ille tamen te, quisquis es, insolenti quidem vultu sed aliquando respexit, ille aures suas ad tua verba demisit, ille te ad latus suum recepit: tu non inspicere te umquam, non audire dignatus es. Non est itaque quod ista officia cuiquam inputes, quoniam quidem, cum illa faceres, non esse cum alio volebas sed tecum esse non poteras.

III

Omnia licet quae umquam ingenia fulserunt in hoc unum consentiant, numquam satis hanc humanarum mentium caliginem mirabuntur. Praedia sua occupari a nullo patiuntur et, si exigua contentio est de modo finium, ad lapides et arma discurrent: in vitam suam incedere alios sinunt, immo vero ipsi etiam possessores eius futuros inducunt. Nemo invenitur qui pecuniam suam dividere velit: vitam unusquisque quam multis distribuit! Adstricti sunt in continendo patrimonio, simul ad iacturam temporis ventum est, profusissimi in eo cuius unius honesta avaritia est. Libet itaque ex seniorum turba comprehendere aliquem: "pervenisse te ad ultimum aetatis humanae videmus, centesimus tibi vel supra premitur annus: agedum ad computationem aetatem tuam revoca. Duc quantum ex isto tempore creditor, quantum amica, quantum rex, quantum cliens abstulerit, quantum lis uxoria, quantum servorum coercitio, quantum officiosa per urbem discursatio; adice morbos quos manu fecimus, adice et quod sine usu iacuit: videbis te pauciores annos habere quam numeras. Repete memoria tecum quando certus consilii fueris, quotus quisque dies ut destinaveras cesserit, quando tibi usus tui fuerit, quando in statu suo vultus, quando animus intrepidus, quid tibi in tam longo aevo facti operis sit, quam multi vitam tuam diripuerint te non sentiente quid perderes, quantum vanus dolor, stulta laetitia, avida cupiditas, blanda conversatio abstulerit, quam exiguum tibi de tuo relictum sit: intelleges te inmaturum mori." Quid ergo est in causa? Tamquam semper victuri vivitis, numquam vobis fragilitas vestra succurrit, non observatis quantum iam temporis transierit; velut ex pleno et abundanti perditis, cum interim fortasse ille ipse qui alicui vel homini vel rei donatur dies ultimus sit. Omnia tamquam mortales timetis, omnia tamquam immortales concupiscitis. Audies plerosque dicentes: "a quinquagesimo anno in otium secedam, sexagesimus me annus ab officiis dimittet." Et quem tandem longioris vitae praedem accipis? Quis ista sicut disponis ire patietur? Non pudet te reliquias vitae tibi reservare et id solum tempus bonae menti destinare quod in nullam rem conferri possit? Quam serum est tunc vivere incipere cum desinendum est! Quae tam stulta mortalitatis oblivio in quinquagesimum et sexagesimum annum differre sana consilia et inde velle vitam inchoare quo pauci perduxerunt!

IV

Potentissimis et in altum sublatis hominibus excidere voces videbis quibus otium optent laudent, omnibus bonis suis praeferant. Cupiunt interim ex illo fastigio suo, si tuto liceat, descendere; nam ut nihil extra lacessat aut quatiat, in se ipsa fortuna ruit. Diuus Augustus, cui di plura quam ulli praestiterunt, non desiit quietem sibi precari et vacationem a re publica petere; omnis eius sermo ad hoc semper revolutus est, ut speraret otium; hoc labores suos, etiam si falso, dulci tamen oblectabat solacio, aliquando se victurum sibi. In quadam ad senatum missa epistula, cum requiem suam non vacuum fore dignitatis nec a priore gloria discrepantem pollicitus esset, haec verba inveni: "sed ista fieri speciosius quam promitti possunt. Me tamen cupido temporis optatissimi mihi provexit ut, quoniam rerum laetitia moratur [ut] adhuc, praeciperem aliquid voluptatis ex verborum dulcedine." Tanta visa est res otium ut illam, quia usu non poterat, cogitatione praesumeret. Qui omnia videbat ex se uno pendentia, qui hominibus gentibusque fortunam dabat, illum diem laetissimus cogitabat quo magnitudinem suam exueret. Expertus erat quantum illa bona per omnis terras fulgentia sudoris exprimerent, quantum occultarum sollicitudinum tegerent: cum civibus primum, deinde cum collegis, novissime cum adfinibus coactus armis decernere, mari terraque sanguinem fudit. Per Macedoniam Siciliam Aegyptum Syriam Asiamque et omnis prope oras bello circumactus Romana caede lassos exercitus ad externa bella convertit. Dum Alpes pacat inmixtosque mediae paci et imperio hostes perdomat, dum ultra Rhenum et Euphraten et Danuvium terminos movet, in ipsa urbe Murenae, Caepionis, Lepidi, Egnati, aliorum in eum mucrones acuebantur. Nondum horum effugerat insidias: filia et tot nobiles iuvenes adulterio velut sacramento adacti iam infractam aetatem territabant Iullusque et iterum timenda cum Antonio mulier. Haec ulcera cum ipsis membris absciderat: alia subnascebantur; velut grave multo sanguine corpus parte semper aliqua rumpebatur. Itaque otium optabat, in huius spe et cogitatione labores eius residebant, hoc votum erat eius qui voti compotes facere poterat.

V

M. Cicero inter Catilinas Clodios iactatus Pompeiosque et Crassos, partim manifestos inimicos, partim dubios amicos, dum fluctuatur cum re publica et illam pessum euntem tenet, novissime abductus, nec secundis rebus quietus nec adversarum patiens, quotiens illum ipsum consulatum suum non sine causa sed sine fine laudatum detestatur! Quam flebiles voces exprimit in quadam ad Atticum epistula iam victo patre Pompeio, adhuc filio in Hispania fracta arma refovente! "Quid agam" inquit "hic quaeris? moror in Tusculano meo semiliber." Alia deinceps adicit quibus et priorem aetatem complorat et de praesenti queritur et de futura desperat. Semiliberum se dixit Cicero: at mehercules numquam sapiens in tam humile nomen procedet, numquam semiliber erit, integrae semper libertatis et solidae, solutus et sui iuris et altior ceteris. Quid enim supra eum potest esse qui supra fortunam est?

VI

Livius Drusus, vir acer et vehemens, cum leges novas et mala Gracchana movisset stipatus ingenti totius Italiae coetu, exitum rerum non pervidens quas nec agere licebat nec iam liberum erat semel inchoatas relinquere, exsecratus inquietam a primordiis vitam dicitur dixisse uni sibi ne puero quidem umquam ferias contigisse. Ausus est enim et pupillus adhuc et praetextatus iudicibus reos commendare et gratiam suam foro interponere, tam efficaciter quidem ut quaedam iudicia constet ab illo rapta. Quo non erumperet tam immatura ambitio? scires in malum ingens et privatum et publicum evasuram tam praecoquem audaciam. Sero itaque querebatur nullas sibi ferias contigisse, a puero seditiosus et foro gravis. Disputatur an ipse sibi manus attulerit; subito enim vulnere per inguen accepto conlapsus est, aliquo dubitante an mors eius voluntaria esset, nullo an tempestiva. Supervacuum est commemorare plures qui, cum aliis felicissimi viderentur, ipsi in se verum testimonium dixerunt perosi omnem actum annorum suorum; sed his querellis nec alios mutaverunt nec se ipsos; nam cum verba eruperunt, adfectus ad consuetudinem relabuntur. Vestra mehercules vita, licet supra mille annos exeat, in artissimum contrahetur: ista vitia nullum non saeculum devorabunt. Hoc vero spatium quod, quamvis natura currit, ratio dilatat, cito vos effugiat necesse est; non enim adprenditis nec retinetis nec velocissimae omnium rei moram facitis, sed abire ut rem supervacuum ac reparabilem sinitis.

VII

In primis autem et illos numero qui nulli rei nisi vino ac libidini vacant; nulli enim turpius occupati sunt. Ceteri etiam si vana gloriae imagine teneantur, speciose tamen errant; licet avaros mihi, licet iracundos enumeres vel odia exercentes iniusta vel bella, omnes isti virilius peccant: in ventrem ac libidinem projectorum inhonesta labes est. Omnia istorum tempora excute, aspice quam diu computent, quam diu insidientur, quam diu timeant, quam diu colant, quam diu colantur, quantum vadimonia sua atque aliena occupent, quantum convivia, quae iam ipsa officia sunt: videbis quemadmodum illos respirare non sinant vel mala sua vel bona. Denique inter omnes convenit nullam rem bene exerceri posse ab homine occupato, non eloquentiam, non liberales disciplinas, quando districtus animus nihil altius recipit sed omnia velut inculcata respuit. Nihil minus est hominis occupati quam vivere: nullius rei difficilior scientia est. Professores aliarum artium vulgo multique sunt, quasdam vero ex his pueri admodum ita percepisse visi sunt ut etiam praecipere possent: vivere tota vita discendum est et, quod magis fortasse miraberis, tota vita discendum est mori. Tot maximi viri relictis omnibus impedimentis, cum divitiis officiis voluptatibus renuntiassent, hoc unum in extremam usque aetatem egerunt, ut vivere scirent; plures tamen ex his nondum se scire confessi vita abierunt, nedum ut isti sciant. Magni, mihi crede, et supra humanos errores eminentis viri est nihil ex suo tempore delibari sinere, et ideo eius vita longissima est quia, quantumcumque patuit, totum ipsi vacavit. Nihil inde incultum otiosumque iacuit, nihil sub alio fuit, neque enim quicquam reperit dignum quod cum tempore suo permutaret, custos eius parcissimus. Itaque satis illi fuit: iis vero necesse est defuisse ex quorum vita multum populus tulit. Nec est quod putes [hinc] illos non aliquando intellegere damnum suum: plerosque certe audies ex iis quos magna felicitas gravat inter clientium greges aut causarum actiones aut ceteras honestas miseras

exclamare interdum "uivere mihi non licet". Quidni non liceat? omnes illi qui te sibi advocant tibi abducunt. Ille reus quot dies abstulit? quot ille candidatus? quot illa anus efferendis heredibus lassa? quot ille ad inritandam avaritiam captantium simulatus aeger? quot ille potentior amicus, qui vos non in amicitiam sed in apparatus habet? Dispunge, inquam, et recense vitae tuae dies: videbis paucos admodum et reiculos apud te resedisse. Adsecutus ille quos optaverat fascas cupit ponere et subinde dicit "quando hic annus praeteribit?" Facit ille ludos, quorum sortem sibi optingere magno aestimavit: "quando" inquit "istos effugiam?" Diripitur ille toto foro patronus et magno concursu omnia ultra quam audiri potest complet: "quando" inquit "res proferentur?" Praecipitat quisque vitam suam et futuri desiderio laborat, praesentium taedio. At ille qui nullum non tempus in usus suos confert, qui omnem diem tamquam ultimum ordinat, nec optat crastinum nec timet. Quid enim est quod iam ulla hora novae voluptatis possit adferre? omnia nota omnia ad satietatem percepta sunt. De cetero [foro] fortuna ut volet ordinet: vita iam in tuto est. Huic adici potest, detrahi nihil, et adici sic quemadmodum saturo iam ac pleno aliquid cibi quod nec desiderat et capit. Non est itaque quod quemquam propter canos aut rugas putes diu vixisse: non ille diu vixit sed diu fuit. Quid enim si illum multum putes navigasse quem saeva tempestas a portu exceptum huc et illuc tulit ac vicibus ventorum ex diverso furentium per eadem spatia in orbem egit? non ille multum navigavit sed multum iactatus est.

VIII

Mirari soleo, cum video aliquos tempus petentes et eos qui rogantur facillimos; illud uterque spectat propter quod tempus petatum est, ipsum quidem neuter: quasi nihil petitur, quasi nihil datur. Re omnium pretiosissima luditur; fallit autem illos quia res incorporalis est, quia sub oculos non venit, ideoque vilissime aestimatur, immo paene nullum eius pretium est. Annua, congiaria homines carissime accipiunt et illis aut laborem aut operam aut diligentiam suam locant: nemo aestimat tempus; utuntur illo laxius quasi gratuito. At eosdem [aegros] videbis, si mortis periculum propius admotum est, medicorum genua tangentes, si metuunt capitale supplicium, omnia sua ut vivant paratos inpendere: tanta in illis discordia adfectuum est. Quodsi posset quemadmodum praeteritorum annorum cuiusque numerus proponi, sic futurorum, quomodo illi qui paucos viderent superesse trepidarent, quomodo illis parcerent! Atqui facile est quamvis exiguum dispensare quod certum est; id debet servari diligentius quod nescias quando deficiat. Nec est tamen quod putes illos ignorare quam cara res sit: dicere solent eis quos valdissime diligunt paratos se partem annorum suorum dare. Dant nec intellegunt; dant autem ita ut sine illorum incremento sibi detrahant. Sed hoc ipsum, an detrahant, nesciunt; ideo tolerabilis est illis iactura detrimenti latentis. Nemo restituet annos, nemo iterum te tibi reddet. Ibit qua coepit aetas nec cursum suum aut revocabit aut supprimet; nihil tumultuabitur, nihil admonebit velocitatis suae: tacita labetur. Non illa se regis imperio, non favore populi longius proferet: sicut missa est a primo die curret, nusquam devertetur, nusquam remorabitur. Quid fiet? tu occupatus es, vita festinat: mors interim aderit, cui velis nolis vacandum est.

IX

Potestne quicquam † sensus hominum eorum dico † qui prudentiam iactant, operosius occupati sunt ut melius possint vivere, inpendio vitae vitam instruunt. Cogitationes suas in longum ordinant; maxima porro vitae iactura dilatio est: illa primum quemque extrahit diem, illa eripit praesentia dum ulteriora promittit. Maximum vivendi impedimentum est exspectatio, quae pendet ex crastino, perdit hodiernum. Quod in manu fortunae positum est disponis, quod in tua dimittis. Quo spectas? quo te extendis? Omnia quae ventura sunt in incerto iacent: protinus vive. Clamat ecce maximus vates et velut divino ore instinctus salutare carmen canit:
optima quaeque dies miseris mortalibus aevi
prima fugit.

"Quid cunctaris?" inquit "quid cessas? nisi occupas, fugit." Et cum occupaveris, tamen fugiet; itaque cum celeritate temporis utendi velocitate certandum est et velut ex torrenti rapido nec semper ituro

cito hauriendum. Hoc quoque pulcherrime ad exprobrandam infinitam cunctationem, quod non optimam quamque "aetatem" sed "diem" dicit. Quid securus et in tanta temporum fuga lentus menses tibi et annos in longam seriem, utcumque aviditati tuae visum est, exporris? de die tecum loquitur et de hoc ipso fugiente. Num dubium est ergo quin optima quaeque prima dies fugiat mortalibus miseris, id est occupatis? Quorum puerilis adhuc animos senectus opprimit, ad quam inparati inermesque perveniunt. Nihil enim provisum est: subito in illam necopinantes inciderunt, accedere eam cotidie non sentiebant. Quemadmodum aut sermo aut lectio aut aliqua intentior cogitatio iter facientis decipit et pervenisse ante sciunt quam adpropinquare, sic hoc iter vitae adsiduum et citatissimum, quod vigilantes dormientesque eodem gradu facimus, occupatis non apparet nisi in fine.

X

Quod proposui si in partes velim et argumenta diducere, multa mihi occurrent per quae probem brevissimam esse occupatorum vitam. Solebat dicere Fabianus, non ex his cathedrariis philosophis sed ex veris et antiquis, contra adfectus impetu, non subtilitate pugnandum, nec minutis vulneribus sed incursu avertendam aciem; [non probat cavillationes] vitia enim contundi debere, non vellicari. Tamen ut illis error exprobretur suus, docendi, non tantum deplorandi sunt. In tria tempora vita dividitur: quod fuit, quod est, quod futurum est. Ex iis quod agimus breve est, quod acturi sumus dubium, quod egimus certum; hoc est enim in quod fortuna ius perdidit, quod in nullius arbitrium reduci potest. Hoc amittunt occupati; nec enim illis vacat praeterita respicere, et si vacet, iniucunda est paenitendae rei recordatio. Inuiti itaque ad tempora male exacta animum revocant nec audent ea retemptare quorum vitia, etiam quae aliquo praesentis voluptatis lenocinio subrepebant, retractando patescunt. Nemo nisi quoi omnia acta sunt sub censura sua, quae numquam fallitur, libenter se in praeteritum retorquet; ille qui multa ambitiose concupiit, superbe contempsit, inpotenter vicit, insidiosae decepit, avare rapuit, prodige effudit, necesse est memoriam suam timeat. Atqui haec est pars temporis nostri sacra ac dedicata, omnis humanos casus supergressa, extra regnum fortunae subducta, quam non inopia, non metus, non morborum incursus exagitet; haec nec turbari nec eripi potest: perpetua eius et intrepida possessio est. Singuli tantum dies, et hi per momenta, praesentes sunt; at praeteriti temporis omnes, cum iusseris, aderunt, ad arbitrium tuum inspicere se ac detineri patientur, quod facere occupatis non vacat. Securae et quietae mentis est in omnes vitae suae partes discurrere: occupatorum animi, velut sub iugo sint, flectere se ac respicere non possunt. Abit igitur vita eorum in profundum et ut nihil prodest, licet quantumlibet ingeras, si non subest quod excipiat ac servet, sic, nihil refert quantum temporis detur, si non est ubi subsidat, per quassos foratosque animos transmittitur. Praesens tempus brevissimum est, adeo quidem ut quibusdam nullum videatur; in cursu enim semper est, fluit et praecipitatur; ante desinit esse quam venit, nec magis moram patitur quam mundus aut sidera, quorum inrequieta semper agitatio numquam in eodem vestigio manet. Solum igitur ad occupatos praesens pertinet tempus, quod tam breve est ut arripi non possit, et id ipsum illis districtis in multa subducitur.

XI

Denique vis scire quam non diu vivant? vide quam cupiant diu vivere. Decrepiti senes paucorum annorum accessionem votis mendicant; minores natu se ipsos esse fingunt; mendacio sibi blandiuntur et tam libenter se fallunt quam si una fata decipiant. Iam vero cum illos aliqua inbecillitas mortalitatis admonuit, quemadmodum paventes moriuntur, non tamquam exeant de vita sed tamquam extrahantur! Stultos se fuisse qui non vixerint clamitant et, si modo evaserint ex illa valetudine, in otio victuros; tunc quam frustra paraverint quibus non fruerentur, quam in cassum omnis ceciderit labor cogitant. At quibus vita procul ab omni negotio agitur, quidni spatiosa sit? Nihil ex illa delibatur, nihil alio atque alio spargitur, nihil inde fortunae traditur, nihil negligentia interit, nihil largitione detrahitur, nihil supervacuum est: tota, ut ita dicam, in reditu est. Quantulacumque itaque abunde sufficit, et ideo, quandoque ultimus dies venerit, non cunctabitur sapiens ire ad mortem certo gradu.

XII

Quaeris fortasse quos occupatos vocem? Non est quod me solos putes dicere quos a basilica inmissi demum canes eiciunt, quos aut in sua vides turba speciosius elidi aut in aliena contemptius, quos officia domibus suis evocant ut alienis foribus inlidant, quos hasta praetoris infami lucro et quandoque suppuraturo exercet. Quorundam otium occupatum est: in villa aut in lecto suo, in media solitudine, quamvis ab omnibus recesserint, sibi ipsi molesti sunt; quorum non otiosa vita dicenda est, sed desidiosa occupatio. Illum tu otiosum vocas qui Corinthia, paucorum furore pretiosa, anxia subtilitate concinnat et maiorem dierum partem in aeruginosis lamellis consumit? qui in ceromate (nam, pro facinus! ne Romanis quidem vitiis laboramus) sectator puerorum rixantium sedet? qui unctorum suorum greges in aetatium et colorum paria diducit? qui athletas novissimos pascit? Quid? illos otiosos vocas quibus apud tonsorem multae horae transmittuntur, dum decerpitur si quid proxima nocte succrevit, dum de singulis capillis in consilium itur, dum aut disiecta coma restituitur aut deficiens hinc atque illinc in frontem compellitur? Quomodo irascuntur, si tonsor paulo neglegentior fuit, tamquam virum tonderet! Quomodo excandescunt, si quid ex iuba sua decisum est, si quid extra ordinem iacuit, nisi omnia in anulos suos reciderunt! Quis est istorum qui non malit rem publicam suam turbari quam comam? qui non sollicitior sit de capitis sui decore quam de salute? qui non comptior esse malit quam honestior? Hos tu otiosos vocas, inter pectinem speculumque occupatos? Quid illi qui in componendis audiendis discendis canticis operati sunt, dum vocem, cuius rectum cursum natura et optimum et simplicissimum fecit, in flexus modulationis ineptissimae torquent, quorum digiti aliquod intra se carmen metientes semper sonant, quorum, cum ad res serias, etiam saepe tristes adhibiti sunt, exauditur tacita modulatio? non habent isti otium sed iners negotium. Convivia mehercules horum non posuerim inter vacantia tempora, cum videam quam solliciti argentum ordinent, quam diligenter exoletorum suorum tunicas succingant, quam suspensi sint quomodo aper a coco exeat, qua celeritate signo dato glabri ad ministeria discurrant, quanta arte scindantur aves in frusta non enormia quam curiose infelices pueruli ebriorum sputa detergeant. Ex his elegantiae lautitiaeque fama captatur, et usque eo in omnes vitae secessus mala sua illos sequuntur ut nec bibant sine ambitione nec edant. Ne illos quidem inter otiosos numeraverim qui sella se et lectica huc et illuc ferunt et ad gestationum suarum, quasi deserere illas non liceat, horas occurrunt, quos quando lavari debeant, quando natate, quando cenare, alius admonet; [et] usque eo nimio delicati animi languore solvuntur ut per se scire non possint an esuriant. Audio quendam ex delicatis - si modo deliciae vocandae sunt vitam et consuetudinem humanam dediscere - cum ex balneo inter manus elatus et in sella positus esset, dixisse interrogando "iam sedeo?" Hunc tu, ignorantem an sedeat, putas scire an vivat, an videat, an otiosus sit? Non facile dixerim utrum magis miserear si hoc ignoravit, an si ignorare se finxit. Multarum quidem rerum oblivionem sentiunt, sed multarum et imitantur. Quaedam vitia illos quasi felicitatis argumenta delectant: nimis humilis et contempti hominis videtur scire quid facias. I nunc et mimos multa mentiri ad exprobrandam luxuriam puta! plura mehercules praetereunt quam fingunt et tanta incredibilium vitiorum copia ingenioso in hoc unum saeculo processit ut iam mimorum arguere possimus neglegentiam. Esse aliquem qui usque eo deliciis interierit ut an sedeat alteri credat! Non est ergo hic otiosus, aliud illi nomen inponas: aeger est, immo mortuus est; ille otiosus est cui otii sui et sensus est. Hic vero semivivus, cui ad intellegendos corporis sui habitus indice opus est, quomodo potest hic ullius temporis dominus esse?

XIII

Persequi singulos longum est quorum aut latrunculi aut pila aut excoquendi - in sole corporis cura consumpsere vitam. Non sunt otiosi quorum voluptates multum negotii habent. Nam de illis nemo dubitabit quin operose nihil agant qui litterarum inutilium studiis detinentur, quae iam apud Romanos quoque magna manus est. Graecorum iste morbus fuit quaerere quem numerum Ulixes remigum habuisset, prior scripta esset Ilias an Odyssia, praeterea an eiusdem esset auctoris, alia deinceps huius notae, quae sive contineas, nihil tacitam conscientiam iuvant, sive proferas, non doctior videaris sed molestior. Ecce Romanos quoque invasit inane studium supervacua discendi. His diebus audivi quendam referentem quae primus quisque ex Romanis ducibus fecisset: primus

navali proelio Duilius vicit, primus Curius Dentatus in triumpho duxit elephantos. Etiamnunc ista, etsi ad veram gloriam non tendunt, circa civilium tamen operum exempla versantur; non est profutura talis scientia, est tamen quae nos speciosa rerum vanitate detineat. Hoc quoque quaerentibus remittamus, quis Romanis primus persuaserit navem conscendere (Claudius is fuit, Caudex ob hoc ipsum appellatus quia plurimum tabularum contextus caudex apud antiquos vocabatur, unde publicae tabulae codices dicuntur et naves nunc quoque ex antiqua consuetudine, quae commeatus per Tiberim subuehunt, codicariae vocantur); sane et hoc ad rem pertineat, quod Valerius Corvinus primus Messanam vicit et primus ex familia Valeriorum urbis captae in se translato nomine Messana appellatus est paulatimque vulgo permutante litteras Messalla dictus: num et hoc cuiquam curare permittes, quod primus L. Sulla in circo leones solutos dedit, cum alioquin alligati darentur, ad conficiendos eos missis a rege Boccho iaculatoribus? Et hoc sane remittatur: num et Pompeium primum in circo elephantorum duodeviginti pugnam edidisse, commissis more procli innoxiiis hominibus, ad ullam rem bonam pertinet? Princeps civitatis et inter antiquos principes, ut fama tradidit, bonitatis eximiae memorabile putavit spectaculi genus novo more perdere homines. Depugnant? parum est. Lancinantur? parum est: ingenti mole animalium exterantur. Satius erat ista in oblivionem ire, ne quis postea potens disceret invideretque rei minime humanae. O quantum caliginis mentibus nostris obicit magna felicitas! Ille se supra rerum naturam esse tunc credidit, cum tot miserorum hominum catervas sub alio caelo natis belvis obiceret, cum bellum inter tam disparia animalia committeret, cum in conspectu populi Romani multum sanguinis funderet, mox plus ipsum fundere coactus. At idem postea Alexandrina perfidia deceptus ultimo mancipio transfodiendum se praebuit, tum demum intellecta inani iactatione cognominis sui. Sed ut illo revertar unde decessi et in eadem materia ostendam supervacuum quorundam diligentiam, idem narrabat Metellum victis in Sicilia Poenis triumphantem unum omnium Romanorum ante currum centum et viginti captivos elephantos duxisse; Sullam ultimum Romanorum protulisse pomerium, quod numquam provinciali sed Italico agro adquisito proferre moris apud antiquos fuit. Hoc scire magis prodest quam Auentinum montem extra pomerium esse, ut ille adfirmabat, propter alteram ex duabus causis, aut quod plebs eo secessisset, aut quod Remo auspicante illo loco aves non addixissent, alia deinceps innumerabilia quae aut falsa sunt aut mendacis similia? Nam ut concedas omnia eos fide bona dicere, ut ad praestationem scribant, tamen cuius ista errores minuent? cuius cupiditates prement? quem fortiorem, quem iustiorum, quem liberaliorem facient? Dubitare se interim Fabianus noster aiebat an satius esset nullis studiis admoveri quam his implicari.

XIV

Soli omnium otiosi sunt qui sapientiae vacant, soli vivunt; nec enim suam tantum aetatem bene tuentur: omne aevum suo adiciunt; quidquid annorum ante illos actum est, illis acquisitum est. Nisi ingrattissimi sumus, illi clarissimi sacrarum opinionum conditores nobis nati sunt, nobis vitam praeparaverunt. Ad res pulcherrimas ex tenebris ad lucem erutas alieno labore deducimur; nullo nobis saeculo interdictum est, in omnia admittimur, et si magnitudine animi egredi humanae inbecillitatis angustias libet, multum per quod spatium temporis est. Disputare cum Socrate licet, dubitare cum Carneade, cum Epicuro quiescere, hominis naturam cum Stoicis vincere, cum Cynicis excedere. Cum rerum natura in consortium omnis aevi patiatur incedere, quidni ab hoc exiguo et caduco temporis transitu in illa toto nos demus animo quae immensa, quae aeterna sunt, quae cum melioribus communia? Isti qui per officia discursant, qui se aliosque inquietant, cum bene insanierint, cum omnium limina cotidie perambulaverint nec ullas apertas fores praeterierint, cum per diversissimas domos meritoriam salutationem circumtulerint, quotum quemque ex tam immensa et variis cupiditatibus districta urbe poterunt videre? Quam multi erunt quorum illos aut somnus aut luxuria aut inhumanitas summoveat! Quam multi qui illos, cum diu torserint, simulata festinatione transcurrant! Quam multi per refertum clientibus atrium prodire vitabunt et per obscuros aedium aditus profugient, quasi non inhumanus sit decipere quam excludere! Quam multi, hesterni crapula semisomnes et graves, illis miseris suum somnum rumpentibus ut alienum exspectent vix adlevatis labris insusurratum miliens nomen oscitatione superbissima reddent! Hos in veris officiis morari puta [licet dicamus] qui Zenonem, qui Pythagoran cotidie et Democritum

ceterosque antistites bonarum artium, qui Aristotelen et Theophrastum volent habere quam familiarissimos. Nemo horum non vacabit, nemo non venientem ad se beatiorum, amantiorem sui dimittet, nemo quemquam vacuis a se manibus abire patietur; nocte conveniri, interdum ab omnibus mortalibus possunt.

XV

Horum te mori nemo coget, omnes docebunt; horum nemo annos tuos conteret, suos tibi contribuet; nullius ex his sermo periculosus erit, nullius amicitia capitalis, nullius sumptuosa observatio. Feres ex illis quidquid voles; per illos non stabit quominus quantum plurimum ceperis haurias. Quae illum felicitas, quam pulchra senectus manet, qui se in horum clientelam contulit! Habebit cum quibus de minimis maximisque rebus deliberet, quos de se cotidie consulat, a quibus audiat verum sine contumelia, laudetur sine adulatione, ad quorum se similitudinem effingat. Solemus dicere non fuisse in nostra potestate quos sortiremur parentes, forte nobis datos: nobis vero ad nostrum arbitrium nasci licet. Nobilissimorum ingeniorum familiae sunt: elige in quam adscisci velis; non in nomen tantum adoptaberis, sed in ipsa bona, quae non erunt sordide nec maligne custodienda: maiora fient quo illa pluribus divideris. Hi tibi dabunt ad aeternitatem iter et te in illum locum ex quo nemo deicitur sublevarunt. Haec una ratio est extendendae mortalitatis, immo in immortalitatem vertendae. Honores, monumenta, quidquid aut decretis ambitio iussit aut operibus extruxit, cito subruitur, nihil non longa demolitur vetustas et movet; at iis quae consecravit sapientia nocere non potest; nulla abolebit aetas, nulla deminuet; sequens ac deinde semper ulterior aliquid ad venerationem conferet, quoniam quidem in vicino versatur invidia, simplicius longe posita miramur. Sapientis ergo multum patet vita, non idem illum qui ceteros terminus cludit: solus generis humani legibus solvitur, omnia illi saecula ut deo serviunt. Transiit tempus aliquod, hoc recordatione comprehendit; instat, hoc utitur; venturum est, hoc praecipit. Longam illi vitam facit omnium temporum in unum conlatio.

XVI

Illorum brevissima ac sollicitissima aetas est qui praeteritorum obliviscuntur, praesentia negligunt, de futuro timent: cum ad extrema venerunt, sero intellegunt miseri tam diu se, dum nihil agunt, occupatos fuisse. Nec est quod hoc argumento probari putes longam illos agere vitam, quia interdum mortem invocant: vexat illos imprudentia incertis adfectibus et incurrentibus in ipsa quae metuunt; mortem saepe ideo optant quia timent. Illud quoque argumentum non est quod putes diu viventium, quod saepe illis longus videtur dies, quod, dum veniat condictum tempus cenae, tarde ire horas queruntur; nam si quando illos deserverunt occupationes, in otio relictis aestuant, nec quomodo id disponant aut extrahant sciunt. Itaque ad occupationem aliquam tendunt et quod interioret omne tempus grave est, tam mehercules quam cum dies muneris gladiatorii edictus est, aut cum alicuius alterius vel spectaculi vel voluptatis exspectatur constitutum, transilire medios dies volunt. Omnis illis speratae rei longa dilatio est. At illud tempus quod amant breve est et praecipuus breviusque multo suo vitio; aliunde enim alio transfugiunt et consistere in una cupiditate non possunt. Non sunt illis longi dies sed invis; at contra quam exiguae noctes videntur quas in complexu scortorum aut vino exigunt! Inde etiam poetarum furor fabulis humanos errores alentium, quibus visus est Iuppiter voluptate concubitus delentis duplicasse noctem: quid aliud est vitia nostra incendere quam auctores illis inscribere deos et dare morbo exemplo divinitatis excusatam licentiam? Possunt istis non brevissimae videri noctes quas tam care mercantur? diem noctis exspectatione perdunt, noctem lucis metu.

XVII

Ipsae voluptates eorum trepidae et variis terroribus inquietae sunt subitque cum maxime exultantis sollicita cogitatio: "haec quam diu?" Ab hoc adfectu reges suam flevare potentiam, nec illos magnitudo fortunae suae delectavit sed venturus aliquando finis exterruit. Cum per magna camporum spatia porrigeret exercitum nec numerum eius sed mensuram comprenderet Persarum rex insolentissimus, lacrimas profudit quod intra centum annos nemo ex tanta iuventute

superfutura esset. At illis admoturus erat fatum ipse qui flebat perditurusque alios in mari, alios in terra, alios proelio, alios fuga, et intra exiguum tempus consumpturus illos quibus centesimum annum timebat. Quid quod gaudia quoque eorum trepida sunt? non enim solidis causis innituntur, sed eadem qua oriuntur vanitate turbantur. Qualia autem putas esse tempora etiam ipsorum confessione misera, cum haec quoque quibus se attollunt et super hominem efferunt parum sincera sint? Maxima quaeque bona sollicita sunt nec ulli fortunae minus bene quam optimae creditur: alia felicitate ad tuendam felicitatem opus est et pro ipsis quae succedere votis vota facienda sunt. Omne enim quod fortuito obuenit instabile est, et quo altius surrexerit opportunius est in occasum; neminem porro casura delectant; miserrimam ergo necesse est, non tantum brevissimam, vitam esse eorum qui magno parant labore quod maiore possideant. Operose adsequuntur quae volunt, anxii tenent quae adsecuti sunt; nulla interim numquam amplius redituri temporis ratio est: novae occupationes veteribus substituuntur, spes spem excitat, ambitionem ambitio. Miseriarum non finis quaeritur sed materia mutatur. Nostri nos honores torserunt, plus temporis alieni auferunt; candidati laborare desimus, suffragatores incipimus; accusandi deposuimus molestiam, iudicandi nanciscimur; iudex desiit esse, quaesitor est; alienorum bonorum mercennaria procuratore consensit, suis opibus detinetur. Marius caliga dimisit, consulatus exercet. Quintus dictaturam properat pervadere, ab aratro revocabitur. Ibit in Poenos nondum tantae maturus rei Scipio; victor Hannibalis, victor Antiochi, sui consulatus decus, fraterni sponsor, ni per ipsum mora sit, cum Iove reponetur: civiles servatorem agitant seditioes et post fastiditos a iuvene dis aequos honores iam senem contumacis exili delectabit ambitio. Numquam deerunt vel felices vel miserae sollicitudinis causae; per occupationes vita trudetur; otium numquam agetur, semper optabitur.

XVIII

Excerpe itaque te vulgo, Pauline carissime, et in tranquilliorum portum non pro aetatis spatio iactatus tandem recede. Cogita quot fluctus subieris, quot tempestates partim privatas sustinueris, partim publicas in te converteris; satis iam per laboriosa et inquieta documenta exhibita virtus est: experire quid in otio faciat. Maior pars aetatis, certe melior, rei publicae data est: aliquid temporis tui sume etiam tibi. Nec te ad segetem aut inertem quietem voco, non ut somno et caris turbae voluptatibus quidquid est in te indolis vividae mergas: non est istud adquiescere; invenies maiora omnibus adhuc strenue tractatis operibus quae repositus et securus agites. Tu quidem orbis terrarum rationes administras tam abstinenter quam alienas, tam diligenter quam tuas, tam religiose quam publicas; in officio amorem consequeris in quo odium vitare difficile est: sed tamen, mihi crede, satius est vitae suae rationem quam frumenti publici nosse. Istum animi vigorem rerum maximarum capacissimum a ministerio honorifico quidem sed parum ad beatam vitam apto revoca et cogita non id egisse te ab aetate prima omni cultu studiorum liberalium ut tibi multa milia frumenti bene committerentur: maius quiddam et altius de te promiseras. Non deerunt et frugalitatis exactae homines et laboriosae operae: tanto aptiora portandis oneribus tarda iumenta sunt quam nobiles equi, quorum generosam pernicitatem quis umquam gravi sarcina pressit? Cogita praeterea quantum sollicitudinis sit ad tantam te molem obicere: cum ventre tibi humano negotium est; nec rationem patitur nec aequitate mitigatur nec ulla prece flectitur populus esuriens. Modo modo intra paucos illos dies quibus C. Caesar periit - si quis inferis sensus est, hoc gravissime ferens, quod videbat populo Romano superstite septem aut octo certe dierum cibaria superesse - dum ille pontes navibus iungit et viribus imperi ludit, aderat ultimum malorum obsessis quoque, alimentorum egestas; exitio paene ac fame constitit et, quae famem sequitur, rerum omnium ruina furiosi et externi et infeliciter superbi regis imitatio. Quem tunc animum habuerunt illi quibus erat mandata frumenti publici cura, saxa ferrum ignes Caium excepturi? Summa dissimulatione tantum inter viscera latentis mali tegebant, cum ratione scilicet; quaedam enim ignorantibus aegris curanda sunt: causa multis moriendi fuit morbum suum nosse.

XIX

Recipe te ad haec tranquilliora tutiora maiora. Simile tu putas esse utrum cures ut incorruptum et a fraude advehentium et a negligentia frumentum transfundatur in horrea, ne concepto umore

vitiatur et concalescat, ut ad mensuram pondusque respondeat, an ad haec sacra et sublimia accedas, sciturus quae materia sit dei, quae voluntas, quae condicio, quae forma; quis animum tuum casus exspectet; ubi nos a corporibus dimissos natura componat; quid sit quod huius mundi gravissima quaeque in medio sustineat, supra levia suspendat, in summum ignem ferat, sidera vicibus suis excitet, cetera deinceps ingentibus plena miraculis? Vis tu relicto solo mente ad ista respicere? Nunc, dum calet sanguis, vigentibus ad meliora eundum est. Exspectat te in hoc genere vitae multum bonarum artium, amor virtutum atque usus, cupiditatum oblivio, vivendi ac moriendi scientia, alta rerum quies.

XX

Omnium quidem occupatorum condicio misera est, eorum tamen miserrima qui ne suis quidem laborant occupationibus, ad alienum dormiunt somnum, ad alienum ambulant gradum, amare et odisse, res omnium liberrimas, iubentur. Hi si volent scire quam brevis ipsorum vita sit, cogitent ex quota parte sua sit. Cum videris itaque praetextam saepe iam sumptam, cum celebre in foro nomen, ne invideris: ista vitae damno parantur. Ut unus ab illis numeretur annus, omnis annos suos conterent. Quosdam, antequam in summum ambitionis eniterentur, inter prima luctantis aetas reliquit; quosdam, cum in consummationem dignitatis per mille indignitates erepsissent, misera subiit cogitatio laborasse ipsos in titulum sepulcri; quorundam ultima senectus, dum in novas spes ut iuventa disponitur, inter conatus magnos et improbos invalida defecit. Foedus ille quem in iudicio pro ignotissimis litigatoribus grandem natu perorantem et imperitae coronae adsensiones captantem spiritus liquit; turpis ille qui vivendo lassus citius quam laborando inter ipsa officia conlapsus est; turpis quem accipiendis inmorientem rationibus diu tractus risit heres. Praeterire quod mihi occurrit exemplum non possum: Sex. Turanius fuit exactae diligentiae senex, qui post annum nonagesimum, cum vacationem procurationis ab C. Caesare ultro accepisset, componi se in lecto et velut exanimem a circumstante familia plangi iussit. Lugebat domus otium domini senis nec finivit ante tristitiam quam labor illi suus restitutus est. Adeone iuvat occupatum mori? Idem plerisque animus est: diutius cupiditas illis laboris quam facultas est; cum inbecillitate corporis pugnant, senectutem ipsam nullo alio nomine gravem iudicant quam quod illos seponit. Lex a quinquagesimo anno militem non legit, a sexagesimo senatorem non citat: difficilius homines a se otium inpetrant quam a lege. Interim dum rapiuntur et rapiunt, dum alter alterius quietem rumpit, dum mutuo miseri sunt, vita est sine fructu, sine voluptate, sine ullo profectu animi: nemo in conspicuo mortem habet, nemo non procul spes intendit, quidam vero disponunt etiam illa quae ultra vitam sunt, magnas moles sepulcrorum et operum publicorum dedicationes et ad rogam munera et ambitiosas exsequias. At mehercules istorum funera, tamquam minimum vixerint, ad faces et cereos ducenda sunt.

Lezione 8.

La tecnica antifrastica di Lucano.

Verg. *Aen.* 6,773-776

Hi tibi Nomentum et Gabios urbemque Fidenam,
hi Collatinas imponent montibus arces,
Pometios Castrumque Inui Bolamque Coramque;
haec tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terrae.

Lucan. 7,389-395

gentes Mars iste futuras
obruet et populos aevi venientis in orbem 390
erepto natale feret. Tunc omne Latinum
fabula nomen erit; Gabios Veiosque Coramque
pulvere vix tectae poterunt monstrare ruinae
Albanosque lares Laurentinosque penates,
rus vacuum.

Lucan. 1,1-66

Bella per Emathios plus quam civilia campos,

iusque datum sceleri canimus, populumque potentem
 in sua victrici conversum viscera dextra,
 cognatasque acies, et rupto foedere regni
 certatum totis concussi viribus orbis 5
 in commune nefas, infestisque obvia signis
 signa, pares aquilas et pila minantia pilis.
 Quis furor, o cives, quae tanta licentia ferri
 gentibus invisus Latium praebere cruorem!
 Cumque superba foret Babylon spolianda tropaeis 10
 Ausoniis umbraque erraret Crassus inulta,
 bella geri placuit nullos habitura triumphos?

Lezioni 9-11.

Lucano 6,118-260

Ut primum libuit ruptis evadere claustris
 Pompeio cunctasque sibi permittere terras,
 non obscura petit latebrosae tempora noctis 120
 et raptum furto soceri cessantibus armis
 dedignatur iter: latis exire ruinis
 quaerit et impulso turres confringere vallo
 perque omnis gladios et qua via caede parandast.
 Opportuna tamen valli pars visa propinqui, 125
 qua Minuci castella vacant et confraga densis
 arboribus dumeta tegunt. Hic pulvere nullo
 proditus agmen agit subitusque in moenia venit.
 Tot simul e campis Latiae fulsere volucres,
 tot cecinere tubae. Ne quid victoria ferro 130
 deberet, pavor attonitos confecerat hostes.
 Quod solum valuit virtus, iacuere perempti,
 debuerant quo stare loco; qui vulnera ferrent,
 iam derant, et nimbus agens tot tela peribat.
 Tum piceos volvunt immissae lampades ignes, 135
 tum quassae nutant turres lapsumque minantur.
 Roboris impacti crebros vomit agger ad ictus.
 Iam Pompeianae celsi super ardua valli
 exierant aquilae, iam mundi iura patebant:
 quem non mille simul turmis nec Caesare toto 140
 auferret Fortuna locum, victoribus unus
 eripuit vetuitque capi seque arma tenente
 ac nondum strato Magnum vicisse negavit.
 Scaeva viro nomen; castrorum in plebe merebat
 ante feras Rhodani gentes; ibi sanguine multo 145
 promotus Latiam longo gerit ordine vitem;
 pronus ad omne nefas et qui nesciret, in armis
 quam magnum virtus crimen civilibus esset.
 Hic ubi quaerentis socios iam Marte relicto
 tuta fugae cernit: "Quo vos pavor" inquit "adegit 150
 impius et cunctis ignotus Caesaris armis?
 O famuli turpes, servum pecus, absque cruore
 terga datis morti? Cumulo vos desse virorum
 non pudet et bustis interque cadavera quaeri?

non ira saltem, iuvenes, pietate remota 155
 stabitis? E cunctis, per quos erumperet hostis,
 nos sumus electi. non parvo sanguine Magni
 iste dies ierit. Peterem felicior umbras
 Caesaris in vultu; testem hunc Fortuna negavit:
 Pompeio laudante cadam. Confringite tela 160
 pectoris impulsu iugulisque retundite ferrum.
 Iam longinqua petit pulvis sonitusque ruinae,
 securasque fragor concussit Caesaris aures.
 Vicimus, o socii; veniet qui vindicet arces,
 dum morimur." Movit tantum vox illa furorem 165
 quantum non primo succendunt classica cantu,
 mirantesque virum atque avidi spectare sequuntur
 scituri iuvenes, numero deprensa locoque
 an plus quam mortem virtus daret. Ille ruenti
 aggere consistit primumque cadavera plenis 170
 turribus evolvit subeuntisque obruit hostis
 corporibus; totaeque viro dant tela ruinae
 roboraque et moles, hosti seque ipse minatur.
 Nunc sude, nunc duro contraria pectora conto
 detrudit muris et valli summa tenentis 175
 amputat ense manus; caput obterit ossaque saxo
 ac male defensum fragili compage cerebrum
 dissipat; alterius flamma crinesque genasque
 succendit; strident oculis ardentibus ignes.
 Ut primum cumulo crescente cadavera murum 180
 admovere solo, non signior extulit illum
 saltus et in medias iecit super arma catervas,
 quam per summa rapit celerem venabula pardum.
 Tunc densos inter cuneos compressus et omni
 vallatus bello vincit, quem respicit, hostem. 185
 Iamque hebes et crasso non asper sanguine mucro;
 percussum Scaevae frangit, non vulnerat hostem
 perdidit ensis opus, frangit sine vulnere membra.
 Illum tota premit moles, illum omnia tela.
 Nulla fuit non certa manus, non lancea felix, 190
 parque novum Fortuna videt concurrere, bellum
 atque virum. Fortis crebris sonat ictibus umbo,
 et galeae fragmenta cavae compressa perurunt
 tempora, nec quidquam nudis vitalibus obstat
 iam praeter stantis in summis ossibus hastas. 195
 Quid nunc, vaesani, iaculis levibusve sagittis
 perditis haesuros numquam vitalibus ictus?
 Hunc aut tortilibus vibrata phalarica nervis
 obruat aut vasti muralia pondera saxi;
 hunc aries ferro ballistaque limite torta 200
 promoveat. Stat non fragilis pro Caesare murus
 Pompeiumque tenet; iam pectora non tegit armis,
 ac veritus credi clipeo laevaue vacasse
 aut culpa vixisse sua, tot vulnera belli
 solus obit densamque ferens in pectore silvam 205
 iam gradibus fessis, in quem cadat, eligit hostem.

Par pelagi monstros, Libycae sic belua terrae
 Sic Libycus densis elephans obpressus ab armis
 omne repperit squalenti missile tergo
 frangit et haerentis mota cute discutit hastas; 210
 viscera tuta latent penitus, citraque cruorem
 confixae stant tela ferae; tot facta sagittis,
 tot iaculis unam non explent vulnera mortem.
 Dictaea procul ecce manu Gortynis harundo
 tenditur in Scaevam, quae voto certior omni 215
 in caput atque oculi laevum descendit in orbem.
 Ille moras ferri nervorum et vincula rumpit
 adfixam vellens oculo pendente sagittam
 intrepidus telumque suo cum lumine calcat.
 Pannonis haud aliter post ictum saevior ursa, 220
 cum iaculum parva Libys amentavit habena,
 se rotat in vulnus telumque irata receptum
 impetit et secum fugientem circumit hastam.
 Perdiderat vultum rabies; stetit imbre cruento
 informis facie. Laetus fragor aethera pulsat 225
 victorum; maiora viris e sanguine parvo
 gaudia non faceret conspectum in Caesare vulnus.
 Ille tegens alta suppressum mente furorem
 mitis et a vultu penitus virtute remota
 "Parcite" ait "cives; procul hinc avertite ferrum, 230
 collatura meae nil sunt iam vulnera morti:
 non eget ingestis, sed vulsis pectore telis.
 Tollite et in Magni viventem ponite castris;
 hoc vestro praestate duci; sit Scaeva relictus
 Caesaris exemplum potius quam mortis honestae." 235
 Credidit infelix simulatis vocibus Aulus
 nec vidit recto gladium mucrone trementem
 membraque captivi pariter laturus et arma
 fulmineum mediis excepit faucibus ensem.
 Incalvit virtus atque una caede reffectus 240
 "Solvat" ait "poenas, Scaevam quicumque subactum
 speravit; pacem gladio si quaerit ab isto
 Magnus, adorato summittat Caesare signa.
 An similem vestri segnemque ad fata putatis?
 Pompei vobis minor est causaeque senatus 245
 quam mihi mortis amor." Simul haec effatur, et altus
 Caesareas pulvis testatur adesse cohortes.
 Dedecus hic belli Magno crimenque remisit,
 ne solum totae fugerent te, Scaeva, catervae.
 Subducto qui Marte ruis: nam sanguine fuso 250
 vires pugna dabat. Labentem turba suorum
 excipit atque umeris defectum imponere gaudet.
 Ac velut inclusum perfosso in pectore numen
 et vivam magnae speciem Virtutis adorant
 telaque confixis certant evellere membris 255
 exornantque deos ac nudum pectore Martem
 armis, Scaeva, tuis, felix hoc nomine famae,
 si tibi durus Hiber aut si tibi terga dedisset

Cantaber exiguis aut longis Teutonus armis.
Non tu bellorum spoliis ornare Tonantis 260
templa potes, non tu laetis ululare triumphis.
Infelix, quanta dominum virtute parasti!

Lezione 12.

Tacito, *Annales* 16-19 (passim)

De C. Petronio pauca supra repetenda sunt. nam illi dies per somnum, nox officii et oblectamenti vitae transigebatur; utque alios industria, ita hunc ignavia ad famam protulerat [...] proconsul tamen Bithyniae et mox consul vigentem se ac parem negotiis ostendit. Dein revolutus ad vitia seu vitiorum imitatione inter paucos familiarium Neroni adsumptus est, elegantiae arbiter, dum nihil amoenum et molle adfluentia putat, nisi quod ei Petronius adprobavisset. [...] Neque tamen praecepta vitam expulit, sed incisas venas, ut libitum, obligatas aperire rursus et adloqui amicos, non per seria aut quibus gloriam constantiae peteret. Audiebatque referentis nihil de immortalitate animae et sapientium placitis, sed levia carmina et facilis versus.

Petronio, *Satiricon* 111,12

'Quid proderit, inquit, hoc tibi, si soluta inedia fueris, si te vivam sepelieris, si antequam fata poscant indemnatum spiritum effuderis?

Id cinerem aut manes credis sentire sepultos?

Petronio, *Satiricon* 80,2-4

Inter hanc miserorum dementia infelicissimus puer tangebatur utriusque genua cum fletu, petebaturque suppliciter ne Thebanum par humilis taberna spectaret, neve sanguine mutuo pollueremus familiaritatis clarissimae sacra. "Quod si utique, proclamabat, facinore opus est, nudo ecce iugulum, convertite huc manus, imprimate mucrones. Ego mori debeo, qui amicitiae sacramentum delevi.

Petronio, *Satiricon* 41,9 – 42

Ab hoc ferculo Trimalchio ad lasanum surrexit. Nos libertatem sine tyranno nacti coepimus invitare convivarum sermones. Dama itaque primus cum pataracina poposcisset: "Dies, inquit, nihil est. Dum versas te, nox fit. Itaque nihil est melius quam de cubiculo recta in triclinium ire. Et mundum frigus habuimus. Vix me balneus calfecit. Tamen calda potio vestiarius est. Staminatas duxi, et plane matus sum. Vinus mihi in cerebrum abiit." Excepit Seleucus fabulae partem et: "Ego, inquit, non cotidie labor; baliscus enim fullo est: aqua dentes habet, et cor nostrum cotidie liquescit. Sed cum mulsi pultarium obduxi, frigori laecasin dico. Nec sane lavare potui; fui enim hodie in funus. Homo bellus, tam bonus Chrysanthus animam ebullit. Modo, modo me appellavit. Videor mihi cum illo loqui. Heu, eheu! Vtres inflati ambulamus. Minoris quam muscae sumus. <Illae> tamen aliquam virtutem habent; nos non pluris sumus quam bullae. Et quid si non abstinax fuisset! Quinque dies aquam in os suum non coniecit, non micam panis. Tamen abiit ad plures. Medici illum perdiderunt, immo magis malus fatus; medicus enim nihil aliud est quam animi consolatio. Tamen bene elatus est, vitali lecto, stragulis bonis. Planctus est optime – manu misit aliquot – etiam si maligne illum ploravit uxor. Quid si non illam optime accepisset? Sed mulier quae mulier milvinum genus. Neminem nihil boni facere oportet; aequae est enim ac si in puteum conicias. Sed antiquus amor cancer est."

Lezione 13.

Quintiliano, *Institutio oratoria*, prooemium 9-12

Oratorem autem instituimus illum perfectum, qui esse nisi vir bonus non potest, ideoque non dicendi modo eximiam in eo facultatem sed omnis animi virtutes exigimus. Neque enim hoc concesserim, rationem rectae honestaeque vitae, ut quidam putaverunt, ad philosophos relegendam, cum vir ille vere civilis et publicarum privatarumque rerum administrationi accommodatus, qui regere consiliis urbes, fundare legibus, emendare iudiciis possit, non alius sit profecto quam orator. Quare, tametsi me fateor usurum quibusdam quae philosophorum libris continentur, tamen ea iure vereque contenderim esse operis nostri propriaeque ad artem oratoriam pertinere. An, si frequentissime de iustitia fortitudine temperantia ceterisque similibus disserendum est, adeo ut vix ulla possit causa reperiri in quam non aliqua ex his incidat quaestio, eaque omnia inventionem atque elocutionem sunt explicanda, dubitabitur, ubicumque vis ingenii et copia dicendi postulatur, ibi partes oratoris esse praecipuas?

Lezione 14.

Persio, *Choliambi*

Nec fonte labra prolii caballino
nec in bicipiti somniasse Parnaso
memini, ut repente sic poeta prodirem.
Heliconidasque pallidamque Pirenen
illis remitto quorum imagines lambunt 5
hederae sequaces; ipse semipaganus
ad sacra vatium carmen adfero nostrum.
Quis expedit psittaco suum 'chaere'
picamque docuit nostra verba conari?
Magister artis ingenique largitor 10
venter, negatas artifex sequi voces.
Quod si dolosi spes refulserit nummi,
corvos poetas et poetridas picas
cantare credas Pegaseium nectar.

Giovenale, *Satira* 1, 1-6

Semper ego auditor tantum? numquamne reponam
vexatus totiens rauci Theseide Cordi?
inpune ergo mihi recitaverit ille togatas,
hic elegos? inpune diem consumpserit ingens
Telephus aut summi plena iam margine libri 5
scriptus et in tergo necdum finitus Orestes?

Giovenale, *Satira* 1, 79-89

Si natura negat, facit indignatio uersum
qualemcumque potest, quales ego uel Cluuienus. 80
ex quo Deucalion nimbis tollentibus aequor
nauigio montem ascendit sortesque poposcit
paulatimque anima caluerunt mollia saxa
et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas,
quidquid agunt homines, uotum, timor, ira, uoluptas, 85
gaudia, discursus, nostri farrago libelli est.
et quando uberius uitiorum copia? Quando
maior auaritiae patuit sinus? alea quando
hos animos?

Giovenale, *Satira* 6, 231-241

Desperanda tibi salva concordia socru.
 illa docet spoliis nudi gaudere mariti,
 illa docet missis a corruptore tabellis
 nil rude nec simplex rescribere, decipit illa
 custodes aut aere domat. Tum corpore sano 235
 advocat Archigenen onerosaque pallia iactat.
 Abditus interea latet et secretus adulter
 inpatiensque morae silet et praeputia ducit.
 Scilicet expectas ut tradat mater honestos
 atque alios mores quam quos habet? utile porro 240
 filiolam turpi vetulae producere turpem.

vv. 252-258

quem praestare potest mulier galeata pudorem,
 quae fugit a sexu? vires amat. haec tamen ipsa
 vir nollet fieri; nam quantula nostra voluptas!
 Quale decus, rerum si coniugis auctio fiat, 255
 balteus et manicae et cristae crurisque sinistri
 dimidium tegimen! vel si diversa movebit
 proelia, tu felix ocreas vendente puella.

vv. 434-442

Illa tamen gravior, quae cum discumbere coepit
 laudat Vergilium, periturae ignoscit Elissae, 435
 committit vates et comparat, inde Maronem
 atque alia parte in trutina suspendit Homerum.
 Cedunt grammatici, vincuntur rhetores, omnis
 turba tacet, nec causidicus nec praeco loquetur,
 altera nec mulier. Verborum tanta cadit vis, 440
 tot pariter pelves ac tintinnabula dicas
 pulsari.

Lezioni 15-17 (Marziale, epigrammi dal libro V).

I

Hoc tibi, Palladiae seu collibus uteris Albae,
 Caesar, et hinc Triviam prospicis, inde Thetin,
 seu tua veridicae discunt responsa sorores,
 plana suburbani qua cubat unda freti,
 seu placet Aeneae nutrix seu filia Solis 5
 sive salutiferis candidus Anxur aquis,
 mittimus, o rerum felix tutela salusque,
 sospite quo gratum credimus esse Iovem.
 Tu tantum accipias: ego te legisse putabo
 et tumidus Galla credulitate fruar. 10

II

Matronae puerique virginesque,
 vobis pagina nostra dedicatur.
 Tu, quem nequitiae procaciores
 delectant nimium salesque nudi,

lascivos lege quattuor libellos: 5
quintus cum domino liber iocatur;
quem Germanicus ore non rubenti
coram Cecropia legat puella.

III

Accola iam nostrae degis, Germanice, ripae,
a famulis Histri qui tibi venit aquis,
laetus et attonitus viso modo praeside mundi,
adfatus comites dicitur esse suos:
"Sors mea quam fratris melior, cui tam prope fas est 5
cernere, tam longe quem colit ille deum".

IV

Fetere multo Myrtale solet vino,
sed fallat ut nos, folia devorat lauri
merumque cauta fronde, non aqua miscet.
Hanc tu rubentem prominentibus venis
quotiens venire, Paule, videris contra, 5
dicas licebit "Myrtale bibit laurum".

V

Sexte, Palatinae cultor facunde Minervae,
ingenio frueris qui propiore dei -
tibi nascentes domini cognoscere curas
et secreta ducis pectora nosse licet -:
sit locus et nostris aliqua tibi parte libellis, 5
qua Pedito, qua Marsus quaque Catullus erit.
Ad Capitolini caelestia carmina belli
grande cothurnati pone Maronis opus.

VI

Si non est grave nec nimis molestum,
Musae, Parthenium rogate vestrum:
sic te serior et beata quondam
salvo Caesare finiat senectus
et sis invidia favente felix, 5
sic Burrus cito sentiat parentem:
admittas timidam brevemque chartam
intra limina sanctioris aulae.
Nosti tempora tu Iovis sereni,
cum fulget placido suoque vultu, 10
quo nil supplicibus solet negare.
Non est quod metuas preces iniquas:
numquam grandia nec molesta poscit
quae cedro decorata purpuraque
nigris pagina crevit umbilicis. 15
Nec porrexeris ista, sed teneto
sic tamquam nihil offeras agasque.
Si novi dominum novem sororum,
ultra purpureum petet libellum.

VII

Qualiter Assyrios renovant incendia nidos,
una decem quotiens saecula vixit avis,
taliter exuta est veterem nova Roma senectam
et sumpsit vultus praesidis ipsa sui.
Iam precor oblitus notae, Vulcane, querelae 5
parce: sumus Martis turba sed et Veneris:
parce, pater: sic Lemniacis lasciva catenis
ignoscat coniunx et patienter amet.

VIII

Edictum domini deique nostri,
quo subsellia certiora fiunt
et puros eques ordines recepit,
dum laudat modo Phasis in theatro,
Phasis purpureis ruber lacernis, 5
et iactat tumido superbus ore:
"Tandem commodius licet sedere,
nunc est reddita dignitas equestris;
turba non premimur, nec inquinamur":
haec et talia dum refert supinus, 10
illas purpureas et adrogantes
iussit surgere Leitus lacernas.

IX

Languebam: sed tu comitatus protinus ad me
venisti centum, Symmache, discipulis.
Centum me tetigere manus aquilone gelatae:
non habui febrem, Symmache, nunc habeo.

X

"Esse quid hoc dicam vivis quod fama negatur
et sua quod rarus tempora lector amat"?
Hi sunt invidiae nimirum, Regule, mores,
praeferat antiquos semper ut illa novis.
Sic veterem ingrati Pompei quaerimus umbram, 5
sic laudant Catuli vilia templa senes,
Ennius est lectus salvo tibi, Roma, Marone;
et sua riserunt saecula Maeoniden,
rara coronato plausere theatra Menandro,
norat Nasonem sola Corinna suum. 10
Vos tamen o nostri ne festinate libelli:
si post fata venit gloria, non propero.

XI

Sardonychas, †zmaragdus, adamantas, iaspidas uno
versat in articulo Stella, Severe, meus.
Multas in digitis, plures in carmine gemmas
invenies: inde est haec, puto, culta manus.

XII

Quod nutantia fronte perticata

gestat pondera Masclion superbus,
aut grandis Ninus omnibus lacertis
septem quod pueros levat vel octo,
res non difficilis mihi videtur, 5
uno cum digito vel hoc vel illo
portet Stella meus decem puellas.

XIII

Sum, fateor, semperque fui, Callistrate, pauper
sed non obscurus nec male notus eques,
sed toto legor orbe frequens et dicitur "Hic est",
quodque cinis paucis hoc mihi vita dedit.
At tua centenis incumbunt tecta columnis 5
et libertinas arca flagellat opes,
magnaque Niliacae servit tibi gleba Syenes
tondet et innumeros Gallica Parma greges.
Hoc ego tuque sumus: sed quod sum non potes esse
tu quod es e populo quilibet esse potest. 10

XIV

Sedere primo solitus in gradu semper
tunc, cum liceret occupare, Nanneius
bis excitatus terque transtulit castra,
et inter ipsas paene tertius sellas
post Gaiumque Luciumque consedit. 5
Illinc cucullo prospicit caput tectus
oculoque ludos spectat indecens uno.
Et hinc miser deiectus in viam transit,
subsellioque semifultus extremo
et male receptus altero genu iactat 10
equiti sedere Leitoque se stare.

XV

Quintus nostrorum liber est, Auguste, iocorum
et queritur laesus carmine nemo meo,
gaudet honorato sed multus nomine lector,
cui victura meo munere fama datur.
"Quid tamen haec prosunt quamuis venerantia multos"? 5
Non prosint sane, me tamen ista iuvant.

XVI

Seria cum possim, quod delectantia malo
scribere, tu causa es, lector amice, mihi,
qui legis et tota cantas mea carmina Roma:
sed nescis quanti stet mihi talis amor.
Nam si falciferi defendere templa Tonantis 5
sollicitisque velim vendere verba reis,
plurimus Hispanas mittet mihi nauta metretas
et fiet vario sordidus aere sinus.
At nunc conviva est commissatorque libellus
et tantum gratis pagina nostra placet. 10
Sed non et veteres contenti laude fuerunt,

cum minimum vati munus Alexis erat.
"Belle" inquis "dixti: satis et laudabimus usque".
Dissimulas? Facies me, puto, causidicum".

XVII

Dum proavos atavosque refers et nomina magna,
dum tibi noster eques sordida condicio est,
dum te posse negas nisi lato, Gellia, clavo
nubere, nupsisti, Gellia, cistibero.

XVIII

Quod tibi Decembri mense, quo volant mappae
gracilesque ligulae cereique chartaeque
et acuta senibus testa cum Damascenis,
praeter libellos vernulas nihil misi,
fortasse avarus videar aut inhumanus. 5
Odi dolosas munerum et malas artes:
imitantur hamos dona: namque quis nescit
avidum vorata decipi scarum musca?
Quotiens amico diviti nihil donat,
o Quintiane, liberalis est pauper. 10

XIX

Si qua fides viris, praeferri, maxime Caesar,
temporibus possunt saecula nulla tuis.
Quando magis dignos licuit spectare triumphos?
Quando Palatini plus meruere dei?
Pulchrior et maior quo sub duce Martia Roma? 5
Sub quo libertas principe tanta fuit?
Est tamen hoc vitium sed non leve, sit licet unum,
quod colit ingratas pauper amicitias.
Quis largitur opes veteri fidoque sodali,
aut quem prosequitur non alienus eques? 10
Saturnaliciae ligulam misisse selibrae
flammarisve togae scripula tota decem
luxuria est, tumidique vocant haec munera reges:
qui crepet aureolos forsitan unus erit.
Quatenus hi non sunt, esto tu, Caesar, amicus: 15
nulla ducis virtus dulcior esse potest.
Iam dudum tacito rides, Germanice, naso
utile quod nobis do tibi consilium.

XX

Si tecum mihi, care Martialis,
securis liceat frui diebus,
si disponere tempus otiosum
et verae pariter vacare vitae:
nec nos atria nec domos potentum 5
nec litis tetricas forumque triste
nossemus nec imagines superbas;
sed gestatio, fabulae, libelli,
campus, porticus, umbra, Virgo, thermae,

haec essent loca semper, hi labores. 10
Nunc vivit necuter sibi, bonosque
soles effugere atque abire sentit,
qui nobis pereunt et inputantur.
Quisquam vivere cum sciat, moratur?

LXI

Crispulus iste quis est, uxori semper adhaeret
qui, Mariane, tuae? Crispulus iste quis est?
Nescio quid dominae teneram qui garrit in aurem
et sellam cubito dexteriore premit?
Per cuius digitos currit levis anulus omnis, 5
crura gerit nullo qui violata pilo?
Nil mihi respondes? "Uxoris res agit" inquis
"iste meae". Sane certus et asper homo est,
procuratorem voltu qui praeferat ipso:
acrior hoc Chius non erit Aufidius. 10
O quam dignus eras alapis, Mariane, Latini:
te successurum credo ego Panniculo.
Res uxoris agit? Res ullas crispulus iste?
Res non uxoris, res agit iste tuas.

LXII

Iure tuo nostris maneat licet, hospes, in hortis,
si potes in nudo ponere membra solo,
aut si portatur tecum tibi magna supellex:
nam mea iam digitum sustulit hospitibus.
Nulla tegit fractos - nec inanis - culcita lectos, 5
putris et abrupta fascia reste iacet.
Sit tamen hospitium nobis commune duobus:
emi hortos; plus est: instrue tu; minus est.

LXIII

"Quid sentis" inquis "de nostris, Marce libellis"?
Sic me sollicitus, Pontice, saepe rogas.
Admiror, stupeo: nihil est perfectius illis,
ipse tuo cedit Regulus ingenio.
"Hoc sentis"? inquis "faciat tibi sic bene Caesar, 5
sic Capitolinus Iuppiter". Immo tibi.

LXIV

Sextantes, Calliste, duos infunde Falerni,
tu super aestivas, Alcime, solve nives,
pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo
lassenturque rosis tempora sutilibus.
Tam vicina iubent nos vivere Mausolea, 5
cum doceant ipsos posse perire deos.

LXV

Astra polumque dedit, quamuis opstante noverca,
Alcidae Nemees terror et Arcas aper
et castigatum Libycae ceroma palaestrae

et gravis in Siculo pulvere fusus Eryx,
 silvarumque tremor, tacita qui fraude solebat 5
 ducere non rectas Cacus in antra boves.
 Ista tuae, Caesar, quota pars spectatur harenae?
 Dat maiora novus proelia mane dies.
 Quot graviora cadunt Nemeaeo pondera monstro!
 Quot tua Maenaios conlocat hasta sues! 10
 Reddatur si pugna triplex pastoris Hiberi,
 est tibi qui possit vincere Geryonen.
 Saepe licet Graiae numeretur belua Lernaee,
 improba Niliacis quid facit Hydra feris?
 Pro meritis caelum tantis, Auguste, dederunt 15
 Alcidae cito di sed tibi sero dabunt.

LXVI

Saepe salutatus numquam prior ipse salutas:
 sic eris aeternum, Pontiliane, vale.

LXVII

Hibernos peterent solito cum more recessus
 Atthides, in nidis una remansit avis.
 Deprendere nefas ad tempora verna reversae
 et profugam volucres diripere suae.
 Sero dedit poenas: discerpi noxia mater 5
 debuerat, sed tunc cum laceravit Ityn.

LXVIII

Arctoa de gente comam tibi, Lesbia, misi,
 ut scires quanto sit tua flava magis.

LXIX

Antoni Phario nihil obiecture Pothino
 et levius tabula quam Cicerone nocens:
 quid gladium demens Romana stringis in ora?
 Hoc admisisset nec Catilina nefas.
 Impius infando miles corrumpitur auro, 5
 et tantis opibus vox tacet una tibi.
 Quid prosunt sacrae pretiosa silentia linguae?
 Incipient omnes pro Cicerone loqui.

LXXVIII

Si tristi domicenio laboras,
 Torani, potes esurire mecum.
 Non derunt tibi, si soles propinein,
 viles Cappadocae gravesque porri,
 divisum cybium latebit ovis. 5
 Ponetur digitis tenendus ustis
 nigra coliculus virens patella,
 argentem modo qui reliquit hortum,
 et pulsem niveam premens botellus,
 et pallens faba cum rubente lardo. 10
 Mensae munera si voles secundae,

marcentes tibi porrigentur uvae
 et nomen pira quae ferunt Syrorum,
 et quas docta Neapolis creavit,
 lento castaneae vapore tostae: 15
 vinum tu facies bonum bibendo.
 Post haec omnia forte si movebit
 Bacchus quam solet esuritionem,
 succurrent tibi nobiles olivae,
 Piceni modo quas tulere rami, 20
 et fervens cicer et tepens lupinus.
 Parva est cenula, - quis potest negare? -
 Sed finges nihil audiesve fictum
 et voltu placidus tuo recumbes;
 nec crassum dominus leget volumen, 25
 nec de Gadibus improbis puellae
 vibrabunt sine fine prurientes
 lascivos docili tremore lumbos;
 sed quod nec grave sit nec infacetum,
 parvi tibia Condylī sonabit. 30
 Haec est cenula. Claudiam sequeris.
 Quam nobis cupis esse tu priorem?

LXXIX

Undecies una surrexti, Zoile, cena,
 et mutata tibi est synthesis undecies,
 sudor inhaereret madida ne veste retentus
 et laxam tenuis laederet aura cutem.
 Quare ego non sudo, qui tecum, Zoile, ceno? 5
 Frigus enim magnum synthesis una facit.

LXXX

Non totam mihi, si vacabis, horam
 dones et licet inputes, Severe,
 dum nostras legis exigisque nugas.
 "Durum est perdere ferias": rogamus
 iacturam patiaris hanc ferasque. 5
 Quod si legeris ista cum deserto
 - sed numquid sumus improbi? - Secundo,
 plus multo tibi debiturus hic est
 quam debet domino suo libellus.
 Nam securus erit, nec inquieta 10
 lassi marmora Sisyphi videbit,
 quem censoria cum meo Severo
 docti lima momorderit Secundi.

LXXXIV

Iam tristis nucibus puer relictis
 clamoso revocatur a magistro,
 et blando male proditus fritillo,
 arcana modo raptus e popina,
 aedilem rogat udus aleator. 5
 Saturnalia transiere tota,

nec munuscula parva nec minora
misisti mihi, Galla, quam solebas.
Sane sic abeat meus December:
scis certe, puto, vestra iam venire 10
Saturnalia, Martias Kalendas;
tunc reddam tibi, Galla, quod dedisti.

Lezioni 19-23

TACITO

DE ORIGINE AC SITU GERMANORUM

1.

Germania omnis a Gallis Raetisque et Pannoniis Rheno et Danuvio fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus separatur; cetera Oceanus ambit, latos sinus et insularum immensa spatia complectens, nuper cognitis quibusdam gentibus ac regibus, quos bellum aperuit. Rhenus, Raeticarum Alpium inaccessio ac praecipiti vertice ortus, modico flexu in occidentem versus septentrionali Oceano miscetur. Danuvius, molli et clementer edito montis Abnobae iugo effusus, pluris populos adit donec in Ponticum mare sex meatibus erumpat; septimum os paludibus hauritur.

2.

Ipsos Germanos indigenas crediderim minimeque aliarum gentium adventibus et hospitibus mixtos, quia nec terra olim sed classibus advehebantur qui mutare sedes quaerebant, et inmensus ultra utque sic dixerim adversus Oceanus raris ab orbe nostro navibus aditur. Quis porro, praeter periculum horridi et ignoti maris, Asia aut Africa aut Italia relicta Germaniam peteret, informem terris, asperam caelo, tristem cultu aspectuque nisi si patria sit? Celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriae et annalium genus est, Tuistonem deum terra editum. Ei filium Mannum, originem gentis conditoremque, Manno tris filios adsignant, e quorum nominibus proximi Oceano Ingaevones, medii Herminones, ceteri Istaevones vocentur. Quidam, ut in licentia vetustatis, pluris deo ortos pluresque appellationes, Marsos Gambrivios Suebos Vandilios, adfirmant, eaque vera et antiqua nomina; ceterum Germaniae vocabulum recens et nuper additum, quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint ac nunc Tungri, tunc Germani vocati sint: ita nationis nomen, non gentis, evaluisse paulatim, ut omnes primum a victore ob metum, mox et a se ipsis invento nomine Germani vocarentur.

3.

Fuisse apud eos et Herculem memorant, primumque omnium virorum fortium ituri in proelia canunt. Sunt illis haec quoque carmina, quorum relatu, quem barditum vocant, accendunt animos futuraeque pugnae fortunam ipso cantu augurantur: terrent enim trepidantve prout sonuit acies, nec tam voces illae quam virtutis concentus videntur. Adfectatur praecipue asperitas soni et fractum murmur, obiectis ad os scutis quo plenior et gravior vox repercussu intumescat. Ceterum et Ulixem quidam opinantur longo illo et fabuloso errore in hunc Oceanum delatum adisse Germaniae terras, Asciburgiumque, quod in ripa Rheni situm hodieque incolitur, ab illo constitutum nominatumque; aram quin etiam Ulixi consecratam, adiecto Laertae patris nomine, eodem loco olim repertam, monumentaque et tumulos quosdam Graecis litteris inscriptos in confinio Germaniae Raetiaeque adhuc exstare. Quae neque confirmare argumentis neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem.

4.

Ipsae eorum opinionibus accedo qui Germaniae populos nullis [aliis] aliarum nationum conubiis infectos propriam et sinceram et tantum sui similem gentem exstitisse arbitrantur. Unde habitus

quoque corporum, tamquam in tanto hominum numero, idem omnibus: truces et caerulei oculi, rutilae comae, magna corpora et tantum ad impetum valida. Laboris atque operum non eadem patientia, minimeque sitim aestumque tolerare, frigora atque inedia caelo solove adsueverunt.

5.

Terra, etsi aliquanto specie differt, in universum tamen aut silvis horrida aut paludibus foeda, humidior qua Gallias, ventosior qua Noricum ac Pannoniam aspicit; satis ferax, frugiferarum arborum inpatiens, pecorum fecunda, sed plerumque inprocera. Ne armentis quidem suus honor aut gloria frontis; numero gaudent, eaeque solae et gratissimae opes sunt. Argentum et aurum propitiine an irati di negaverint dubito. Nec tamen adfirmaverim nullam Germaniae venam argentum aurumve gignere: quis enim scrutatus est? Possessione et usu haud perinde adficiuntur; est videre apud illos argentea vasa, legatis et principibus eorum muneri data, non in alia vilitate quam quae humo finguntur. Quamquam proximi ob usum commerciorum aurum et argentum in pretio habent formasque quasdam nostrae pecuniae agnoscunt atque eligunt; interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur. Pecuniam probant veterem et diu notam, serratos bigatosque; argentum quoque magis quam aurum sequuntur, nulla adfectione animi sed quia numerus argenteorum facilior usui est promiscua ac vilia mercantibus.

6.

Ne ferrum quidem superest, sicut ex genere telorum colligitur. Rari gladiis aut maioribus lanceis utuntur; hastas vel ipsorum vocabulo frameas gerunt angusto et brevi ferro, sed ita acri et ad usum habili ut eodem telo, prout ratio poscit, vel comminus vel eminus pugnent. Et eques quidem scuto frameaque contentus est, pedites et missilia spargunt, pluraque singuli, atque in inensum vibrant, nudi aut sagulo leves. Nulla cultus iactatio; scuta tantum lectissimis coloribus distingunt. Paucis loricae, vix uni alterive cassis aut galea. Equi non forma, non velocitate conspicui; sed nec variare gyros in morem nostrum docentur: in rectum aut uno flexu dextros agunt, ita coniuncto orbe ut nemo posterior sit. In universum aestimati plus penes peditem roboris; eoque mixti proeliantur, apta et congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni iuventute delectos ante aciem locant. Definitur et numerus: centeni ex singulis pagis sunt, idque ipsum inter suos vocantur, et quod primo numerus fuit, iam nomen et honor est. Acies per cuneos componitur. Cedere loco, dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur. Corpora suorum etiam in dubiis proeliis referunt. Scutum reliquisse praecipuum flagitium, nec aut sacris adesse aut concilium inire ignominioso fas, multique superstites bellorum infamiam laqueo finierunt.

7.

Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. Nec regibus infinita ac libera potestas, et duces exemplo potius quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione praesunt. Ceterum neque animadvertere neque vincere, ne verberare quidem nisi sacerdotibus permissum, non quasi in poenam nec ducis iussu sed velut deo imperante, quem adesse bellantibus credunt. Effigiesque et signa quaedam detracta lucis in proelium ferunt; quodque praecipuum fortitudinis incitamentum est, non casus nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiae et propinquitates, et in proximo pignora, unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium. Hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores; ad matres, ad coniuges vulnera ferunt: nec illae numerare et exigere plagas pavent, cibosque et hortamina pugnantibus gestant.

8.

Memoriae proditur quasdam acies inclinatas iam et labantes a feminis restitutas constantia precum et obiectu pectorum et monstrata comminus captivitate, quam longe impatientius feminarum suarum nomine timent, adeo ut efficacius obligentur animi civitatum quibus inter obsides puellae quoque nobiles imperantur. Inesse quin etiam sanctum aliquid et providum putant, nec aut consilia earum aspernantur aut responsa neglegunt. Vidimus sub divo Vespasiano Veledam diu apud

plerosque numinis loco habitam; sed et olim Auriniam et compluris alias venerati sunt, non adulatione nec tamquam facerent deas.

9.

Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent. Herculem ac Martem concessis animalibus placant. Pars Sueborum et Isidi sacrificat; unde causa et origo peregrino sacro parum comperi nisi quod signum ipsum in modum liburnae figuratum docet advectam religionem. Ceterum nec cohibere parietibus deos neque in ullam humani oris speciem adsimulare ex magnitudine caelestium arbitrantur; lucos ac nemora consecrant, deorumque nominibus appellant secretum illud quod sola reverentia vident.

10.

Auspicia sortesque ut qui maxime observant. Sortium consuetudo simplex. Virgam frugiferae arbori decisam in surculos amputant eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargunt. Mox, si publice consultetur, sacerdos civitatis, sin privatim, ipse pater familiae, precatus deos caelumque suspiciens ter singulos tollit, sublatos secundum impressam ante notam interpretatur. Si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem consultatio; sin permissum, auspicio adhuc fides exigitur. Et illud quidem etiam hic notum, avium voces volatusque interrogare; proprium gentis equorum quoque praesagia ac monitus experiri; publice aluntur isdem nemoribus ac lucis candidi et nullo mortali opere contacti, quos pressos sacro curru sacerdos ac rex vel princeps civitatis comitantur hinnitusque ac fremitus observant. Nec ulli auspicio maior fides, non solum apud plebem sed apud proceres, apud sacerdotes. Se enim ministros deorum, illos conscios putant. Est et alia observatio auspicio, qua gravium bellorum eventus explorant. Eius gentis cum qua bellum est captivum quoquo modo interceptum cum electo popularium suorum, patriis quemque armis, committunt; victoria huius vel illius pro praeiudicio accipitur.

11.

De minoribus rebus principes consultant, de maioribus omnes, ita tamen ut ea quoque quorum penes plebem arbitrium est apud principes praetractentur. Coeunt, nisi quid fortuitum et subitum incidit, certis diebus, cum aut incohatur luna aut impletur; nam agendis rebus hoc auspiciatissimum initium credunt. Nec dierum numerum ut nos sed noctium computant; sic constituunt, sic condicunt: nox ducere diem videtur. Illud ex libertate vitium, quod non simul nec ut iussi conveniunt, sed et alter et tertius dies cunctatione coeuntium absumentur. Ut turbae placuit, considunt armati. Silentium per sacerdotes, quibus tum et coercendi ius est, imperatur. Mox rex vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur auctoritate suadendi magis quam iubendi potestate. Si displicuit sententia, fremitu aspernantur, sin placuit, frameas concutiunt: honoratissimum adsensus genus est armis laudare.

12.

Licet apud concilium accusare quoque et discrimen capitis intendere. Distinctio poenarum ex delicto: proditores et transfugas arboribus suspendunt, ignavos et inbelles et corpore infames caeno ac palude, iniecta insuper crate, mergunt. Diversitas supplicii illuc respicit, tamquam scelera ostendi oporteat dum puniuntur, flagitia abscondi. Sed et levioribus delictis pro modo poena: equorum pecorumque numero convicti multantur. Pars multae regi vel civitati, pars ipsi qui vindicatur vel propinquis eius exsolvitur. Eliguntur in isdem conciliis et principes qui iura per pagos vicosque reddunt; centeni singulis ex plebe comites consilium simul et auctoritas adsunt.

13.

Nihil autem neque publicae neque privatae rei nisi armati agunt. Sed arma sumere non ante cuiquam moris quam civitas suffecturum probaverit. Tum in ipso concilio vel principum aliquis vel pater vel propinqui scuto frameaque iuvenem ornant; haec apud illos toga, hic primus iuventae honos; ante hoc domus pars videntur, mox rei publicae. Insignis nobilitas aut magna patrum merita principis

dignationem etiam adolescentulis adsignant; ceterum robustioribus ac iam pridem probatis adgregantur, nec rubor inter comites aspici. Gradus quin etiam ipse comitatus habet, iudicio eius quem sectantur; magnaque et comitum aemulatio quibus primus apud principem suum locus, et principum cui plurimi et acerrimi comites. Haec dignitas, hae vires magno semper electorum iuvenum globo circumdari, in pace decus, in bello praesidium. Nec solum in sua gente cuique sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat; expetuntur enim legationibus et muneribus ornantur et ipsa plerumque fama bella profligant.

14.

Cum ventum in aciem, turpe principi virtute vinci, turpe comitatu virtutem principis non adaequare. Iam vero infame in omnem vitam ac probrosum superstitem principi suo ex acie recessisse; illum defendere tueri, sua quoque fortia facta gloriae eius adsignare praecipuum sacramentum est: principes pro victoria pugnant, comites pro principe. Si civitas in qua orti sunt longa pace et otio torpeat, plerique nobilium adolescentium petunt ultro eas nationes quae tum bellum aliquod gerunt, quia et ingrata genti quies et facilius inter ancipitia clarescunt magnumque comitatum non nisi vi belloque tueare. Exigunt enim principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam: nam epulae et quamquam incompti largi tamen apparatus pro stipendio cedunt. Materia munificentiae per bella et raptus, nec arare terram aut expectare annum tam facile persuaseris quam vocare hostem et vulnera mereri; pigrum quin immo et iners videtur sudore adquirere quod possis sanguine parare.

15.

Quotiens bella non ineunt, non multum venatibus, plus per otium transigunt, dediti somno ciboque; fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens, delegata domus et penatium et agrorum cura feminis senibusque et infirmissimo cuique ex familia, ipsi hebet, mira diversitate naturae cum idem homines sic ament inertiam et oderint quietem. Mos est civitatibus ultro ac viritim conferre principibus vel armentorum vel frugum quod pro honore acceptum etiam necessitatibus subvenit. Gaudent praecipue finitimarum gentium donis, quae non modo a singulis sed et publice mittuntur, electi equi, magnifica arma, phalerae torquesque; iam et pecuniam accipere docuimus.

16.

Nullas Germanorum populis urbes habitari satis notum est, ne pati quidem inter se iunctas sedes. Colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant non iin nostrum morem conexis et cohaerentibus aedificiis; suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium sive incitiam aedificandi. Ne caementorum quidem apud illos aut tegularum usus; materia ad omnia utuntur informi et citra speciem aut delectationem. Quaedam loca diligentius inlinunt terra ita pura ac splendente ut picturam ac lineamenta colorum imitetur. Solent et subterraneos specus aperire eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemis et receptaculum frugibus, quia rigorem frigorum eius modi loci molliunt, et si quando hostis advenit aperta populatur, abdita autem et defossa aut ignorantur aut eo ipso fallunt quod quaerenda sunt.

17.

Tegumen omnibus sagum fibula aut, si desit, spina consertum; cetera intecti totos dies iuxta focum atque ignem agunt. Locupletissimi veste distinguntur non fluitante, sicut Sarmatae ac Parthi, sed stricta et singulos artus exprimente. Gerunt et ferarum pelles, proximi ripae negligenter, posteriores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus: eligunt feras et detracta velamina spargunt maculis pellibusque beluarum quas exterior Oceanus atque ignotum mare gignit. Nec alius feminis quam viris habitus, nisi quod feminae saepius lineis amictibus velantur eosque purpura variant, partemque vestitus superiorem in manicas non extendunt, nudae brachia ac lacertos; sed et proxima pars pectoris patet.

18.

Quamquam severa illic matrimonia, nec ullam morum partem magis laudaveris. Nam prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis qui non libidine sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur. Dotem non uxor marito sed uxori maritus offert. Intersunt parentes et propinqui, ac munera probant, munera non ad delicias muliebres quaesita nec quibus nova nupta comatur, sed boves et frenatum equum et scutum cum framea gladioque. In haec munera uxor accipitur, atque in vicem ipsa armorum aliquid viro adfert; hoc maximum vinculum, haec arcana sacra, hos coniugales deos arbitrantur. Ne se mulier extra virtutum cogitationes extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in proelio passuram ausuramque; hoc iuncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant. Sic vivendum, sic pereundum; accipere se quae liberis inviolata ac digna reddat, quae nurus accipiant rursusque ad nepotes referantur.

19.

Ergo saepe pudicitia agunt, nullis spectaculorum inlecebris, nullis convivorum inritationibus corruptae. Litterarum secreta viri pariter ac feminae ignorant. Paucissima in tam numerosa gente adulteria, quorum poena praesens et maritis permissa: abscisis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus ac per omnem vicum verbere agit. Publicatae enim pudicitiae nulla venia: non forma, non aetate, non opibus maritum invenerit. Nemo enim illic vitia ridet, nec corrumpere et corrumpi saeculum vocatur. Melius quidem adhuc eae civitates in quibus tantum virgines nubunt et cum spe votoque uxoris semel transigitur. Sic unum accipiunt maritum quo modo unum corpus unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tamquam maritum sed tamquam matrimonium ament. Numerum liberorum finire aut quemquam ex agnatis necare flagitium habetur, plusque ibi boni mores valent quam alibi bonae leges.

20.

In omni domo nudi ac sordidi in hos artus, in haec corpora quae miramur excrescunt. Sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur. Dominum ac servum nullis educationis deliciis dinoscas; inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec aetas separet ingenuos, virtus agnoscat. Sera iuvenum venus, eoque inexhausta pubertas. Nec virgines festinantur; eadem iuventa, similis proceritas; pares validaeque miscentur, ac robora parentum liberi referunt. Sororum filiis idem apud avunculum qui apud patrem honor. Quidam sanctiorem artiolemque hunc nexum sanguinis arbitrantur et in accipiendis obsidibus magis exigunt, tamquam et animum firmiter et domum latius teneant. Heredes tamen successoresque sui cuique liberi, et nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres patru avunculi. Quanto plus propinquorum, quanto maior adfinium numerus, tanto gratiosior senectus; nec ulla orbitatis pretia.

21.

Suscipere tam inimicitias seu patris seu propinqui quam amicitias necesse est. Nec inplacabiles durant; luitur enim etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero recipitque satisfactionem universa domus, utiliter in publicum, quia periculosiores sunt inimicitiae iuxta libertatem. Convictibus et hospitibus non alia gens effusius indulget. Quemcumque mortalium arcere tecto nefas habetur; pro fortuna quisque apparatus epulis excipit. Cum defecere, qui modo hospes fuerat monstrator hospitii et comes; proximam domum non invitati adeunt. Nec interest: pari humanitate accipiuntur; notum ignotumque quantum ad ius hospitis nemo discernit. Abeunti, si quid poposcerit, concedere moris, et poscendi in vicem eadem facilitas. Gaudent muneribus, sed nec data inputant nec acceptis obligantur. [Victus inter hospites comis.]

22.

Statim e somno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur, saepius calida, ut apud quos plurimum hiems occupat. Lauti cibum capiunt; separatae singulis sedes et sua cuique mensa. Tum ad negotia nec minus saepe ad convivia procedunt armati. Diem noctemque continuare potando nulli probrum. Crebrae, ut inter vinolentos, rixae raro conviciis, saepius caede et vulneribus

transiguntur. Sed et de reconciliandis in vicem inimicis et iungendis adfinitatibus et adsciscendis principibus, de pace denique ac bello plerumque in conviviiis consulant, tamquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus aut ad magnas incalescat. Gens non astuta nec callida aperit adhuc secreta pectoris licentia loci; ergo detecta et nuda omnium mens. Postera die retractatur, et salva utriusque temporis ratio est: deliberant dum fingere nesciunt, constituunt dum errare non possunt.

23.

Potui umor ex hordeo aut frumento in quandam similitudinem vini corruptus; proximi ripae et vinum mercantur. Cibi simplices: agrestia poma, recens fera aut lac concretum. Sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem. Adversus sitim non eadem temperantia: si indulseris ebrietati suggerendo quantum concupiscunt, haud minus facile vitiis quam armis vincuntur.

24.

Genus spectaculorum unum atque in omni coetu idem: nudi iuvenes, quibus id ludicrum est, inter gladios se atque infestas frameas saltu iaciunt. Exercitatio artem paravit, ars decorem, non in quaestum tamen aut mercedem: quamvis audacis lasciviae pretium est voluptas spectantium. Aleam, quod mirere, sobrii inter seria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate ut, cum omnia defecerunt, extremo ac novissimo iactu de libertate ac de corpore contendant. Victus voluntariam servitutem adit; quamvis iuvenior, quamvis robustior alligari se ac venire patitur. Ea est in re prava pervicacia; ipsi fidem vocant. Servos condicionis huius per commercia tradunt, ut se quoque pudore victoriae exsolvant.

25.

Ceteris servis non in nostrum morem descriptis per familiam ministeriis utuntur: suam quisque sedem, suos penates regit. Frumenti modum dominus aut pecoris aut vestis ut colono iniungit, et servus hactenus paret; cetera domus officia uxor ac liberi exsequuntur. Verberare servum ac vinculis et opere coercere rarum; occidere solent, non disciplina et severitate, sed impetu et ira, ut inimicum, nisi quod inpune est. Liberti non multum supra servos sunt, raro aliquod momentum in domo, numquam in civitate, exceptis dumtaxat iis gentibus quae regnantur. Ibi enim et super ingenuos et super nobiles ascendunt; apud ceteros inpares libertini libertatis argumentum sunt.

26.

Faenus agitare et in usuras extendere ignotum; ideoque magis servatur quam si vetitum esset. Agri pro numero cultorum ab universis † vices † occupantur: quos mox inter se secundum dignationem partiuntur (facilitatem partiendi camporum spatia praestant). Arva per annos mutant, et superest ager. Nec enim cum ubertate et amplitudine soli labore contendunt ut pomaria conserant, ut prata separent, ut hortos rigent; sola terrae seges imperatur. Unde annum quoque ipsum non in totidem digerunt species; hiems et ver et aestas intellectum ac vocabula habent, autumnus perinde nomen ac bona ignorantur.

27.

Funerum nulla ambitio; id solum observatur ut corpora clarorum virorum certis lignis cremantur. Struem rogi nec vestibis nec odoribus cumulant; sua cuique arma, quorundam igni et equus adicitur. Sepulcrum caespes erigit: monumentorum arduum et operosum honorem ut gravem defunctis aspernantur. Lamenta ac lacrimas cito, dolorem et tristitiam tarde ponunt. Feminis lugere honestum est, viris meminisse. Haec in commune de omni Germanorum origine ac moribus accepimus; nunc singularum gentium instituta ritusque quatenus differant quaeque nationes e Germania in Gallias commigraverint expediam.

28.

Validiores olim Gallorum res fuisse summus auctorum divus Iulius tradit, eoque credibile est etiam Gallos in Germaniam transgressos. Quantulum enim annis obstat quo minus, ut quaeque gens evaluerat, occuparet permutaretque sedes promiscuas adhuc et nulla regnorum potentia divisas! Igitur inter Hercyniam silvam Rhenumque et Moenum amnes Helvetii, ulteriora Boii, Gallica utraque gens, tenuere: manet adhuc Boihaemi nomen signatque loci veterem memoriam quamvis mutatis cultoribus. Sed utrum Aravisci in Pannoniam ab Osis [Germanorum natione] an Osi ab Araviscis in Germaniam commigraverint, cum eodem adhuc sermone institutis moribus utantur, incertum est, quia pari olim inopia ac libertate eadem utriusque ripae bona malaque erant. Treveri et Nervii circa adfectionem Germanicae originis ultro ambitiosi sunt, tamquam per hanc gloriam sanguinis a similitudine et inertia Gallorum separentur. Ipsam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt, Vangiones, Triboci, Nemetes. Ne Ubii quidem, quae Romana colonia esse meruerant ac libentius Agrippinenses conditoris sui nomine vocentur, origine erubescunt, transgressi olim et experimento fidei super ipsam Rheni ripam conlocati ut arcerent, non ut custodirentur.

29.

Omnium harum gentium virtute praecipui Batavi non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt, Chattorum quondam populus et seditione domestica in eas sedes transgressus in quibus pars Romani imperii fierent. Manet honos et antiquae societatis insigne: nam nec tributis contemnuntur nec publicanus atterit; exempti oneribus et conlationibus et tantum in usum proeliorum sepositi, velut tela atque arma bellis reservantur. Est in eodem obsequio et Mattiacorum gens; protulit enim magnitudo populi Romani ultra Rhenum utraque veteres terminos imperii reverentiam. Ita sede finibusque in sua ripa, mente animoque nobiscum agunt, cetera similes Batavis, nisi quod ipso adhuc terrae suae solo et caelo acrius animantur. Non numeraverim inter Germaniae populos, quamquam trans Rhenum Danuviumque consederint, eos qui Decumates agros exercent. Levissimus quisque Gallorum et inopia audax dubiae possessionis solum occupavere; mox limite acto promotisque praesidiis sinus imperii et pars provinciae habentur.

30.

Ultra hos Chatti initium sedis ab Hercynio saltu incohant, non ita effusis ac palustribus locis ut ceterae civitates in quas Germania patescit, durant siquidem colles, paulatim rarescunt, et Chattos suos saltus Hercynius prosequitur simul atque deponit. Duriora genti corpora, stricti artus, minax vultus et maior animi vigor. Multum, ut inter Germanos, rationis ac sollertiae: praeponere electos, audire praepositos, nosse ordines, intellegere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia virtutem inter certa numerare, quodque rarissimum nec nisi Romanae disciplinae concessum, plus reponere in duce quam in exercitu. Omne robur in pedite, quem super arma ferramentis quoque et copiis onerant; alios ad proelium ire videas, Chattos ad bellum. Rari excursus et fortuita pugna: equestrium sane virium id proprium, cito parare victoriam, cito cedere; <peditum> velocitas iuxta formidinem, cunctatio propior constantiae est.

31.

Et aliis Germanorum populis usurpatum raro et privata cuiusque audentia apud Chattos in consensum vertit, ut primum adoleverint crinem barbamque summittere nec nisi hoste caeso exuere votivum obligatumque virtutis oris habitum. Super sanguinem et spolia revelant frontem, seque tum demum pretia nascendi retulisse dignosque patria ac parentibus ferunt. Ignavis et inbellibus manet squalor. Fortissimus quisque ferreum insuper anulum (ignominiosum id genti) velut vinculum gestat, donec se caede hostis absolvat. Plurimis Chattorum hic placet habitus, iamque canent insignes et hostibus simul suisque monstrati. Omnium penes hos initia pugnarum; haec prima semper acies, visu nova. Nam ne in pace quidem cultu mitiore mansuescunt. Nulli domus aut ager aut aliqua cura; prout ad quemque venere aluntur, prodigi alieni, contemptores sui, donec exsanguis senectus tam durae virtuti in pares faciat.

32.

Proximi Chattis certum iam alveo Rhenum quique terminus esse sufficiat Usipi ac Tencteri colunt. Tencteri super solitum bellorum decus equestris disciplinae arte praecellunt, nec maior apud Chattos peditum laus quam Tencteris equitum. Sic instituere maiores, posteri imitantur. Hi lusus infantium, haec iuvenum aemulatio; perseverant senes. Inter familiam et penates et iura successionum equi traduntur; excipit filius non, ut cetera, maximus natu sed prout ferox bello et melior.

33.

Iuxta Tencteros Bructeri olim occurrebant; nunc Chamavos et Angrivarios immigrasse narratur, pulsus Bructeris ac penitus excisis vicinarum consensu nationum, seu superbiae odio seu praedae dulcedine seu favore quodam erga nos deorum. Nam ne spectaculo quidem proelii invidere: super sexaginta milia non armis telisque Romanis sed, quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt. Maneat, quaeso, duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui, quando urgentibus imperii fatibus nihil iam praestare fortuna maius potest quam hostium discordiam.

34.

Angrivarios et Chamavos a tergo Dulgubnii et Chasuarii claudunt aliaeque gentes haud perinde memoratae, a fronte Frisii excipiunt. Maioribus minoribusque Frisiis vocabulum est ex modo virium; utraeque nationes usque ad Oceanum Rheno praetexuntur ambiuntque immensos insuper lacus et Romanis classibus navigatos. Ipsum quin etiam Oceanum illa temptavimus, et superesse adhuc Herculis columnas fama vulgavit, sive adiit Hercules seu quidquid ubique magnificum est in claritatem eius referre consensimus. Nec defuit audentia Druso Germanico, sed obstitit Oceanus in se simul atque in Herculem inquiri; mox nemo temptavit, sanctiusque ac reverentius visum de actibus deorum credere quam scire.

35.

Hactenus in occidentem Germaniam novimus; in septentrionem ingenti flexu recedit. Ac primo statim Chaucorum gens, quae incipiat a Frisii ac partem litoris occupet, omnium quas exposui gentium lateribus obtenditur, donec in Chattos usque sinuetur. Tam immensum terrarum spatium non tenent tantum Chauca sed et implent, populus inter Germanos nobilissimus quique magnitudinem suam malit iustitia tueri. Sine cupiditate, sine inpotentia, quieti secretique nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur. Id praecipuum virtutis ac virium argumentum est quod ut superiores agant non per iniurias adsequuntur; prompta tamen omnibus arma ac, si res poscat, exercitus, plurimum virorum equorumque. Et quiescentibus eadem fama.

36.

In latere Chaucorum Chattorumque Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem inaccessi nutrierunt; idque iucundius quam tutius fuit, quia inter inpotentis et validos falso quiescas: ubi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt. Ita qui olim boni aequique Cherusci nunc inertes ac stulti vocantur, Chattis victoribus fortuna in sapientiam cessit. Tracti ruina Cheruscorum et Fosi, contermina gens, adversarum rerum ex aequo socii sunt cum in secundis minores fuissent.

37.

Eundem Germanae sinum proximi Oceano Cimbri tenent, parva nunc civitas sed gloria ingens; veterisque famae lata vestigia manent, utraque ripa castra ac spatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis et tam magni exitus fidem. Sescentimum et quadragesimum annum urbs nostra agebat cum primum Cimbrorum audita sunt arma Caecilio Metello ac Papirio Carbone consulibus. Ex quo si ad alterum imperatoris Traiani consulatum computemus, ducenti ferme et decem anni colliguntur: tam diu Germania vincitur. Medio tam longi aevi statio multa in vicem damna. Non Samnis, non Poeni, non Hispaniae Galliaeve, ne Parthi quidem saepius admonere: quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis quam

caedem Crassi, amisso et ipse Pacoro, infra Ventidium deiectus Oriens obiecerit? At Germani Carbone et Cassio et Scauro Aurelio et Servilio Caepione Maximoque Mallio fuis vel captis quinque simul consularis exercitus populo Romano, Varum trisque cum eo legiones etiam Caesari abstulerunt; nec inpune C. Marius in Italia, divus Iulius in Gallia, Drusus ac Nero et Germanicus in suis sedibus perculerunt. Mox ingentes C. Caesaris minae in ludibrium versae. Inde otium, donec occasione discordiae nostrae et civilium armorum expugnatis legionum hibernis etiam Gallias adfectavere ac rursus pulsi. Nam proximis temporibus triumphati magis quam victi sunt.

38.

Nunc de Suebis dicendum est, quorum non una ut Chattorum Tencterorumve gens; maiorem enim Germaniae partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quamquam in commune Suebi vocentur. Insigne gentis obliquare crinem nodoque substringere; sic Suebi a ceteris Germanis, sic Sueborum ingenui a servis separantur. In aliis gentibus seu cognatione aliqua Sueborum seu, quod saepe accidit, imitatione, rarum et intra iuventae spatium, apud Suebos usque ad canitiem. «Feminae» horrentem capillum † retro sequuntur † ac saepe in ipso vertice religant. Principes et ornatiorem habent; ea cura formae, sed innoxia: neque enim ut ament amenturve in altitudinem quandam et terrorem adituri bella compti [ut] hostium oculis ornantur.

39.

Vetustissimos se nobilissimosque Sueborum Semnones memorant. Fides antiquitatis religione firmatur. Stato tempore in silvam auguriis patrum et prisca formidine sacram «eiusdem» nominis eiusdemque sanguinis populi legationibus coeunt caesoque publice homine celebrant barbari ritus horrenda primordia. Est et alia luco reverentia: nemo nisi vinculo ligatus ingreditur, ut minor et potestatem numinis prae se ferens. Si forte prolapsus est, adtolli et insurgere haud licitum: per humum evolvuntur. Eoque omnis superstitio respicit tamquam inde initia gentis, ibi regnator omnium deus, cetera subiecta atque parentia. Adicit auctoritatem fortuna Semnonum; centum pagis habitant magnoque corpore efficitur ut se Sueborum caput credant.

40.

Contra Langobardos paucitas nobilitat; plurimis ac valentissimis nationibus cincti non per obsequium sed proeliis et periclitando tuti sunt. Reudigni deinde et Aviones et Anglii et Varini et Eudoses et Suarines et Nuitones fluminibus aut silis muniuntur. Nec quicquam notabile in singulis, nisi quod in commune Nerthum, id est Terram matrem, colunt eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur. Est in insula Oceani castum nemus, dicatumque in eo vehiculum, veste contactum, attingere uni sacerdoti concessum. Is adesse penetrali deam intellegit vectamque bubus feminis multa cum veneratione prosequitur. Laeti tunc dies, festa loca quaecumque adventu hospitioque dignatur. Non bella ineunt, non arma sumunt; clausum omne ferrum; pax et quies tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec idem sacerdos satiatam conversatione mortalium deam templo reddat. Mox vehiculum et vestis et, si credere velis, numen ipsum secreto lacu abluitur. Servi ministrant, quos statim idem lacus haurit; arcanus hinc terror sanctaque ignorantia quid sit illud quod tantum perituri vident.

41.

Et haec quidem pars Sueborum in secretiora Germaniae porrigitur; propior, ut quo modo paulo ante Rhenum sic nunc Danuvium sequar, Hermundurorum civitas, fida Romanis; eoque solis Germanorum non in ripa commercium sed penitus atque in splendidissima Raetiae provinciae colonia. Passim sine custode transeunt, et, cum ceteris gentibus arma modo castraque nostra ostendamus, his domos villasque patefecimus non concupiscentibus. In Hermunduris Albis oritur, flumen inclutum et notum olim; nunc tantum auditur.

42.

Iuxta Hermunduros Naristi ac deinde Marcomani et Quadi agunt. Praecipua Marcomanorum gloria viresque, atque ipsa etiam sedes pulsis olim Boiis virtute parta. Nec Naristi Quadive degenerant. Eaque Germaniae velut frons est, quatenus Danuvio praecingitur. Marcomanis Quadisve usque ad nostram memoriam reges mansere ex gente ipsorum, nobile Marobodui et Tudri genus: iam et externos patiuntur. Sed vis et potentia regibus ex auctoritate Romana: raro armis nostris, saepius pecunia iuvantur; nec minus valent.

43.

Retro Marsigni Cotini Osi Buri terga Marcomanorum Quadorumque claudunt. E quibus Marsigni et Buri sermone cultuque Suebos referunt; Cotinos Gallica, Osos Pannonica lingua coarguit esse Germanos, et quod tributa patiuntur. Partem tributorum Sarmatae, partem Quadi ut alienigenis inponunt; Cotini, quo magis pudeat, et ferrum effodiunt. Omnesque hi populi pauca campestrium, ceterum saltus et vertices montium [iugumque] insederunt; dirimit enim scinditque Suebiam continuum montium iugum, ultra quod plurimae gentes agunt: ex quibus latissime patet Lugiorum nomen in plures civitates diffusum. Valentissimas nominasse sufficet, Harios Helveconas Manimos Helysios Nahanarvalos. Apud Nahanarvalos antiquae religionis lucus ostenditur. Praesidet sacerdos muliebri ornatu, sed deos interpretatione Romana Castorem Pollucemque memorant. Ea vis numini, nomen Alcis. Nulla simulacra, nullum peregrinae superstitionis vestigium; ut fratres tamen, ut iuvenes venerantur. Ceteri Harii, super vires quibus enumeratos paulo ante populos antecedunt truces, insitae feritati arte ac tempore lenocinantur: nigra scuta, tincta corpora; atras ad proelia noctes legunt ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hostium sustinente novum ac velut infernum aspectum: nam primi in omnibus proeliis oculi vincuntur.

44.

Trans Lugios Gotones regnantur, paulo iam adductius quam ceterae Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. Protinus deinde ab Oceano Rugii et Lemovii. Omniumque harum gentium insigne rotunda scuta, breves gladii et erga reges obsequium. Suionum hinc civitates, ipso in Oceano, praeter viros armaque classibus valent. Forma navium eo differt quod utrimque prora paratam semper adpulsui frontem agit. Nec velis ministrant nec remos in ordinem lateribus adiungunt; solutum, ut in quibusdam fluminum, et mutabile, ut res poscit, hinc vel illinc remigium. Est apud illos et opibus honos, eoque unus imperitat, nullis iam exceptionibus, non precario iure parendi. Nec arma, ut apud ceteros Germanos, in promiscuo, sed clausa sub custode, et quidem servo, quia subitos hostium incursus prohibet Oceanus, otiosae porro armatorum manus facile lasciviunt; enimvero neque nobilem neque ingenuum, ne libertinum quidem armis praeponere regia utilitas est.

45.

Trans Suionas aliud mare, pigrum ac prope inmotum, quo cingi claudique terrarum orbem hinc fides quod extremus cadentis iam solis fulgor in ortus edurat adeo clarus ut sidera hebetet; sonum insuper emergentis audiri formasque equorum et radios capitis aspici persuasio adicit. Illuc usque, et fama vera, tantum natura. Ergo iam dextro Suebici maris litore Aestiorum gentes adluuntur, quibus ritus habitusque Sueborum, lingua Britannicae propior. Matrem deum venerantur. Insigne superstitionis formas aprorum gestant; id pro armis hominumque tutela securum deae cultorem etiam inter hostis praestat. Rarus ferri, frequens fustium usus. Frumenta ceterosque fructus patientius quam pro solita Germanorum inertia laborant. Sed et mare scrutantur, ac soli omnium sucinum, quod ipsi glesum vocant, inter vada atque in ipso litore legunt. Nec quae natura quaeve ratio gignat, ut barbaris, quaesitum compertumve; diu quin etiam inter cetera eiectamenta maris iacebat, donec luxuria nostra dedit nomen. Ipsis in nullo usu; rude legitur, informe perfertur, pretiumque mirantes accipiunt. Sucum tamen arborum esse intellegas, quia terrena quaedam atque etiam volucra animalia plerumque interlucent, quae implicata umore mox durescente materia clauduntur. Fecundiora igitur nemora lucosque <et>, sicut Orientis secretis, ubi tura balsamaque sudantur, ita Occidentis insulis terrisque inesse crediderim, quae vicini solis radiis expressa atque liquentia in proximum mare labuntur ac vi tempestatum in adversa litora exundant. Si naturam sucini admoto

igne temptes, in modum taedae accenditur alitque flammam pinguem et olentem; mox ut in picem resinamve lentescit. Suionibus Sitonum gentes continuantur. Cetera similes uno differunt, quod femina dominatur: in tantum non modo a libertate sed etiam a servitute degenerant.

46.

Hic Suebiae finis. Peucinorum Venetorumque et Fennorum nationes Germanis an Sarmatis adscribam dubito. Quamquam Peucini, quos quidam Bastarnas vocant, sermone cultu sede ac domiciliis ut Germani agunt; sordes omnium ac torpor procerum; conubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum foedantur. Veneti multum ex moribus traxerunt; nam quidquid inter Peucinos Fennosque silvarum ac montium erigitur latrocinii pererrant. Hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia et domos figunt et scuta gestant et peditum usu ac pernicitate gaudent: quae omnia diversa Sarmatis sunt in plaustro equoque viventibus. Fennis mira feritas, foeda paupertas: non arma, non equi, non penates; victui herba, vestitui pelles, cubile humus; solae in sagittis spes, quas inopia ferri ossibus asperant. Idemque venatus viros pariter ac feminas alit; passim enim comitantur partemque praedae petunt. Nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur; huc redeunt iuvenes, hoc senum receptaculum. Sed beatius arbitrantur quam ingemere agris, inlaborare domibus, suas alienasque fortunas spe metuque versare; securi adversus homines, securi adversus deos rem difficillimam adsecuti sunt, ut illis ne voto quidem opus esset. Cetera iam fabulosa, Hellusios et Oxionas ora hominum voltusque, corpora atque artus ferarum gerere: quod ego ut incompertum in medium relinquam.

Lezione 24.

Apuleio, Metamorfosi, 1,1

At ego tibi sermone isto Milesio varias fabulas conseram auresque tuas benivolas lepto susurro permulceam — modo si papyrum Aegyptiam argutia Nilotici calami inscriptam non spreveris inspicere — figuras fortunasque hominum in alias imagines conversas et in se rursus mutuo nexu reflectas ut mireris. Exordior. "Quis ille?" Paucis accipe. Hymettos Attica et Isthmos Ephyrea et Taenaros Spartiatica, glebae felices aeternum libris felicioribus conditae, mea vetus prosapia est; ibi linguam Atthidem primis pueritiae stipendiis merui. Mox in urbe Latia advena studiorum Quiritium indigenam sermonem aerumnabili labore nullo magistro praeunte aggressus excolui. En ecce praefamur veniam, siquid exotici ac forensis sermonis rudis locutor offendero. Iam haec equidem ipsa vocis immutatio desultoriae scientiae stilo quem accessimus respondet. Fabulam Graecanicam incipimus. Lector intende: laetaberis.

Lezione 25.

Passio Perpetuae et Felicitatis, 5-6

Post paucos dies rumor cucurrit ut audiremur. Supervenit autem et de civitate pater meus, consumptus taedio, et ascendit ad me, ut me deiceret, dicens: Miserere, filia, canis meis; miserere patri, si dignus sum a te pater vocari; si his te manibus ad hunc florem aetatis provexi, si te praeposui omnibus fratribus tuis: ne me dederis in dedecus hominum. Aspice fratres tuos, aspice matrem tuam et materteram, aspice filium tuum qui post te vivere non poterit. Depone animos; ne universos nos extermines. Nemo enim nostrum libere loquetur, si tu aliquid fueris passa. Haec dicebat quasi pater pro sua pietate basians mihi manus et se ad pedes meos iactans et lacrimans me iam non filiam nominabat sed dominam. Et ego dolebam casum patris mei quod solus de passione mea gauisurus non esset de toto genere meo. Et confortavi eum dicens: Hoc fiet in illa catasta quod Deus voluerit. Scito enim nos non in nostra esse potestate constitutos, sed in Dei. Et recessit a me contristatus. Alio die cum pranderemus, Subito rapti sumus ut audiremur. et pervenimus ad forum. Rumor statim per vicinas fori partes cucurrit et factus est populus immensus. Ascendimus in catastam. Interrogati ceteri confessi sunt. Ventum est et ad me. Et apparuit pater ilico cum filio meo et extraxit me de gradu dicens: 'Supplica. Miserere infanti'. Et Hilarianus procurator, qui tunc loco proconsulis

Minuci Timiniani defuncti ius gladii acceperat, 'Parce, inquit, canis patris tui, parce infantiae pueri. Fac sacrum pro salute imperatorum'. Et ego respondi: 'Non facio'. Hilarianus: 'Christiana es?' inquit. Et ego respondi: 'Christiana sum'. Et cum staret pater ad me deiciendam, iussus est ab Hilariano proici et uirga percussus est. Et doluit mihi casus patris mei quasi ego fuissem percussa; sic dolui pro senecta eius misera. Tunc nos universos pronuntiat et damnat ad bestias; et hilares descendimus ad carcerem. Tunc quia consueverat a me infans mammas accipere et mecum in carcere manere, statim mitto ad patrem Pomponium diaconum, postulans infantem. Sed pater dare noluit. 8. Et quomodo Deus voluit, neque ille amplius mammas desideravit neque mihi fervorem fecerunt ne sollicitudine infantis et dolore mammarum macerarer.

Minucio Felice, *Octavius*, 31, 1-3

Et de incesto convivio fabulam grandem adversum nos daemonum coitio mentita est, ut gloriam pudicitiae deformis infamiae aspersione macularet, ut ante exploratam veritatem homines a nobis terrore infandae opinionis averteret. Sic de isto et tuus Fronto non ut adfirmator testimonium fecit, sed convicium ut orator adpersit: haec enim potius de vestris gentibus nata sunt. Ius est apud Persas misceri cum matribus, Aegyptiis et Athenis cum sororibus legitima conubia, memoriae et tragoediae vestrae incestis gloriantur, quas vos libenter et legitis et auditis; sic et deos colitis incestos, cum matre, cum filia, cum sorore coniunctos.

Tertulliano, *Apologeticum* 50, 12-16

Sed hoc agite, boni praesides, meliores multo apud populum, si illis Christianos immolaveritis, cruciate, torquete, damnate, atterite nos: probatio est enim innocentiae nostrae iniquitas vestra. Ideo nos haec pati deus patitur. Nam et proxime ad lenonem damnando Christianam potius quam ad leonem, confessi estis labem pudicitiae apud nos atrocior omnino poena et omni morte reputari. Nec quicquam tamen proficit exquisitior quaeque crudelitas vestra; illecebra est magis sectae. Plures efficimur, quotiens metimur a vobis: semen est sanguis Christianorum. Multi apud vos ad tolerantiam doloris et mortis hortantur, ut Cicero in Tusculanis, ut Seneca in Fortuitis, ut Diogenes, ut Pyrrhon, ut Callinicus; nec tamen tantos inveniunt verba discipulos, quantos Christiani factis docendo. Illa ipsa obstinatio, quam exprobratis, magistra est. Quis enim non contemplatione eius concutitur ad requirendum, quid intus in re sit? Quis non, ubi requisivit, accedit, ubi accessit, pati exoptat, ut totam dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat? Omnia enim huic operi delicta donantur. Inde est, quod ibidem sententiis vestris gratias agimus. Ut est aemulatio divinae rei et humanae, cum damnamur a vobis, a deo absolvimur.

Lezione 26.

Damaso, *epigramma* 10

Hoc tumulo sacrata deo nunc membra quiescunt:
Hic soror est Damasi, nomen si quaeris, Irene.
Voverat haec sese Christo cum vita maneret,
Virginis ut meritum sanctus pudor ipse probaret. 5
Bis denas hiemes necdum compleverat aetas,
Egregios mores vitae praecesserat aetas,
Propositum mentis pietas veneranda puellae,
Magnificos fluctus dederat melioribus annis.
Te germana soror nostri tunc testis amoris, 10
Cum fugeret mundum, dederat mihi pignus honestum.
Quam sibi cum raperet melior tunc regia caeli,
Non timui mortem, caelos quod libera adiret,
Sed dolui, fateor, consortia perdere vitae.
Nunc veniente deo nostri reminiscere, virgo, 15
Vt tua per dominum praestet mihi facula lumen.

Prudenzio, *Cathemerinon* 1 (al canto del gallo)

Ales diei nuntius		Suadet quietem linquere	
Lucem propinquam praecinit,		Iam iamque venturo die,	20
Nos excitator mentium		Vt, cum coruscis flatibus	
Iam Christus ad vitam uocat.		Aurora caelum sparserit,	
"Auferte" clamat "lectulos	5	Omnes labore exercitos	
Aegros soporos desides,		Confirmet ad spem luminis.	
Castique recti ac sobrii		Hic somnus ad tempus datus	25
Vigilate; iam sum proximus."		Est forma mortis perpetis;	
Post solis ortum fulgidi		Peccata, ceu nox horrida,	
Serum est cubile spernere,	10	Cogunt iacere ac stertere.	
Ni parte noctis addita		Sed vox ab alto culmine	
Tempus labori adieceris.		Christi docentis praemonet	30
Vox ista, qua strepunt aves		Adesse iam lucem prope,	
Stantes sub ipso culmine		Ne mens sopori seruiat,	
Paulo ante quam lux emicet,	15	Ne somnus usque ad terminos	
Nostri figura est iudicis.		Vitae socordis opprimat	
Tectos tenebris horridis		Pectus sepultum crimine	35
Stratisque opertos segnibus		Et lucis oblitum suae.	

Lc 1, 26-38

[26] In mense autem sexto, missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, [27] ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David: et nomen virginis Maria. [28] Et ingressus angelus ad eam dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. [29] Quae cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. [30] Et ait angelus ei: Ne timeas, Maria: invenisti enim gratiam apud Deum. [31] Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum: [32] hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in aeternum, [33] et regni ejus non erit finis. [34] Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? [35] Et respondens angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. [36] Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua: et hic mensis sextus est illi, quae vocatur sterilis: [37] quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. [38] Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa angelus.

Giovenco, *Evangeliorum libri* 1, 53-79

ANGELVS AD MARIAM

Tunc maiora dehinc idem mandata minister
Detulit ad Mariae dimissus virginis aures.
Haec desponsa suo per tempora certa propinquo
Abdita virgineis caste pubescere tectis 55
Et servare diem iussis permissa parentum.
Ad quam tranquillum sermonem nuntius infit:
"Salve, progenie terras iutura salubri,
Desine conspectu mentem turbare verendo.
Nam tua concipient caelesti uiscera iussu 60
Natum, quem regnare Deus per saecula cuncta
Et propriam credi subolem gaudetque iubetque.

Hunc ubi sub lucem dederis, sit nomine Iesus."
 Ad quem virgo dehinc pavido sic inchoat ore:
 "Nullos conceptus fieri sine coniuge dicunt; 65
 Vnde igitur subolem mihimet sperabo venire?"
 Nuntius haec contra celeri sermone profatur:
 "Virtus celsa Dei circumvolitabit obumbrans,
 Spiritus et veniet purus, lectissima uirgo,
 Ac tibi mox puerum casto sermone iubebit 70
 Magnificum gigni populis, quem credere sanctum
 Supremique Dei natum vocitare necesse est.
 Sic cognata tibi, sterilis quae credita cunctis,
 Zachariae coniux mortali germine nuper
 Aevo defessis hausit miracula membris. 75
 Sextus adest mensis: parent sic omnia iussis."
 Virgo dehinc: "Domino famulam nunc ecce iubenti,
 Vt tua verba sonant, cernis servire paratam."
 Nuntius abscedens vacuis se condidit auris.

Paolino di Nola, *carm.* 31, 1-20

Ante puer patribus claris et nomine avito
 Celsus erat, sed nunc celsus agit merito,
 Quem dominus tanto cumulavit munere Christus,
 Vt rudis ille annis et novus iret aquis,
 Atque bis infantem spatio aevi et fonte lavacri 5
 Congeminata deo gratia proveheret.
 Heu! quid agam? dubia pendens pietate laboro,
 Gratuler an doleam? dignus utroque puer;
 Cuius amor lacrimas et amor mihi gaudia suadet,
 Sed gaudere fides, flere iubet pietas. 10
 Tam modicum patribus tam dulci e pignore fructum
 Defleo in exiguo temporis esse datum.
 Rursus ut aeternae bona volvo perennia vitae,
 Quae deus in caelo praeparat innocuis,
 Laetor obisse brevi functum mortalia saeclo, 15
 Vt cito divinas perfrueretur opes,
 Nec terrena diu contagia mixtus iniquis
 Duceret in fragili corporis hospitio,
 Sed nullo istius temeratus crimine mundi
 Dignius aeternum tenderet ad dominum. 20

Ambrogio, *Aeterne rerum conditor*

Aeterne rerum conditor,
 noctem diemque qui regis
 et temporum das tempora,
 ut alleves fastidium; 5
 praeco diei iam sonat,
 noctis profundae pervigil,
 nocturna lux viantibus,
 a nocte noctem segregans.
 hoc excitatus lucifer 10
 solvit polum caligine,

hoc omnis errorum chorus
 vias nocendi deserit.
 hoc nauta vires colligit,
 pontique mitescunt freta; 15
 hoc ipse petra ecclesiae
 canente culpam diluit.
 surgamus ergo strenue:
 gallus iacentes excitat
 et somnolentos increpat; 20
 gallus negantes arguit.
 gallo canente spes redit,

aegris salus refunditur,
mucro latronis conditur,
lapsis fides revertitur. 25
Iesu, labentes respice,
et nos videndo corrige;
si respicis lapsus cadunt
fletuque culpa solvitur.
tu lux refulge sensibus, 30

mentisque somnum discute:
te nostra vox primum sonet,
et vota solvamus tibi.
deo patri sit gloria
eiusque soli filio 35
cum spiritu paraclito
et nunc et in perpetuum.

Lezione 27.

Simmaco, *Relatio* III

4. Quodsi huius ominis non esset iusta vitatio, ornamentis saltem curiae decuit abstineri. Praestate, oro vos, ut ea, quae pueri suscepimus, senes posteris relinquamus. Consuetudinis amor magnus est. Merito divi Constantii factum diu non stetit. Omnia vobis exempla vitanda sunt, quae mox remota didicistis. Aeternitatem curamus famae et nominis vestri, ne quid futura aetas inveniat corrigendum.

5. Ubi in leges vestras et verba iurabimus? Qua religione mens falsa terrebitur, ne in testimoniis mentiatur? Omnia quidem deo plena sunt nec ullus perfidis tutus est locus, sed plurimum valet ad metum delinquendi etiam praesentia numinis argueri. Illa ara concordiam tenet omnium, illa ara fidem convenit singulorum neque aliud magis auctoritatem facit sententiis nostris quam quod omnia quasi iuratus ordo decernit. Patebit ergo sedes profana periuriis et hoc incliti principes mei probabile iudicabunt, qui sacramento publico tuti sunt?

9. Romam nunc putemus adsistere atque his vobiscum agere sermonibus: Optimi principum, patres patriae, reveremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit! Utar caerimoniis avitis; neque enim paenitet. Vivam meo more, quia libera sum! Hic cultus in leges meas orbem redegit, haec sacra Hannibalem a moenibus, a Capitolio Senonas reppulerunt. Ad hoc ergo servata sum, ut longaeva reprehendar?

Ambrogio, *epistula XVIII ad Imperatorem Valentinianum* (384)

[7] Facessat igitur invidiosa illa populi Romani querela! Non hanc Roma mandavit. Aliis illa eos interpellat vocibus: Quid me casso cottidie gregis innoxii sanguine cruentatis? Non in fibris pecudum, sed in viribus bellatorum tropaea victoriae sunt. Aliis ego disciplinis orbem subegi. Militabat Camillus, qui sublata Capitolio signa caesis Tarpeiae rupis triumphatoribus reportavit. Stravit virtus, quos religio non removet. Quid de Attilio loquar, qui militiam etiam mortis inpendit? Africanus non inter Capitolii aras, sed inter Hannibalis acies triumphum invenit. Quid mihi veterum exempla profertis? Odi ritus Neronum. Quid dicam bimenstres imperatores et terminos regum cum exordiis copulatos? Aut forte illud est novum barbaros suis excessisse finibus? Numquid etiam illi Christiani fuerunt, quorum miserabili novoque exemplo alter captivus imperator, sub altero captivus orbis, fefellisse quae victoriam promittebant, suas caerimonias prodiderunt? Numquid et tunc non erat ara Victoriae? Paenitet lapsus et vetusta canities pudendi sanguinis traxit ruborem. Non erubesco cum toto orbe longaeva converti. Verum certe est quia nulla aetas ad perdiscendum sera est. Erubescat senectus, quae emendare se non potest. «Non annorum canities est laudata, sed morum» (Sap. 4, 8sq.). Nullus pudor est ad meliora transire. Hoc solum habebam commune cum barbaris, quia deum antea nesciebam. Sacrificium vestrum ritus est bestiarum cruore respergi. Quid in mortuis pecudibus quaeritis dei voces? Venite et discite in terris caelestem militiam. Hic vivimus et illic militamus. Caeli mysterium doceat me deus ipse, qui condidit, non homo, qui se ipsum ignoravit. Cui magis de deo quam deo credam? Quomodo possum vobis credere, qui fatemini vos ignorare quod colitis?

Girolamo, *epistola* 57,5

Ad Pammachium de optimo genere interpretandi

Hactenus sic locutus sum quasi aliquid de Epistola commutaverim, et simplex translatio possit errorem habere, non crimen. Nunc vero cum ipsa Epistola doceat nihil mutatum esse de sensu, nec res additas, nec aliquod dogma confictum, "Faciunt nae intelligendo ut nihil intelligant (Terent. Prol. Andr.): et dum alienam imperitiam volunt coarguere, suam produnt. Ego enim non solum fateor, sed libera voce profiteor, me in interpretatione Graecorum, absque Scripturis sanctis, ubi et verborum ordo mysterium est, non verbum e verbo, sed sensum exprimere de sensu. Habeoque hujus rei magistrum Tullium, qui Protagoram Platonis, et Oeconomicon Xenophontis et Aeschinis ac Demosthenis duas contra se orationes pulcherrimas transtulit. Quanta in illis praetermiserit, quanta addiderit, quanta mutaverit, ut proprietates alterius linguae, suis proprietatibus explicaret, non est hujus temporis dicere. Sufficit mihi ipsius translatoris (Ciceronis) auctoritas, qui ita in Prologo earumdem orationum locutus est: "Putavi mihi suscipiendum laborem utilem studiosis, mihi quidem ipsi non necessarium. Converti enim ex Atticis duorum eloquentissimorum nobilissimas orationes, inter seque contrarias, Aeschinis et Demosthenis: nec converti, ut interpres, sed ut Orator, sentiis iisdem et earum formis, tam figuris quam verbis ad nostram consuetudinem aptis. In quibus non verbum pro verbo necesse habui reddere: sed genus omne verborum vimque servavi. Non enim me annumerare ea lectori putavi oportere, sed tanquam appendere. Rursum in calce sermonis: Quorum ego, ait, orationes, si, ut spero, ita expressero, virtutibus utens illorum omnibus, id est sentiis, et earum figuris, et rerum ordine: verba persequens eatenus, ut ea non abhorreant amore nostro. Quae si e Graecis omnia conversa non erunt: tamen ut generis ejusdem sint, elaboravimus." Sed et Horatius vir acutus et doctus, hoc idem in Arte Poetica erudito interpreti praecipit:

nec verbum verbo curabis reddere, fidus / interpres.

Terentius Menandrum, Plautus et Cecilius veteres comicos interpretati sunt. Numquid haerent in verbis: ac non decorem magis et elegantiam in translatione conservant? Quam vos veritatem interpretationis, hanc eruditi *κακοζηλίαν* nuncupant. Unde et ego doctus a talibus ante annos circiter viginti, et simili tunc quoque errore deceptus, certe hoc mihi a vobis objiciendum nesciens, cum Eusebii Caesariensis *Χρονικὸν* in Latinum verterem, tali inter caetera usus sum Praefatione: "Difficile est alienas lineas insequentem, non alicubi excidere: et arduum, ut quae in alia lingua bene dicta sunt, eundem decorem in translatione conservent. Significatum est aliquid unius verbi proprietate: non habeo meum quo id efferam: et dum quaero implere sententiam longo ambitu, vix brevis vitae spatia [al. brevia spatia] consummo. Accedunt hyperbatorum anfractus, dissimilitudines casuum, varietates figurarum: ipsum postremo suum, et, ut ita dicam, vernaculum linguae genus. Si ad verbum interpretor, absurde resonant: si ob necessitatem aliquid in ordine, vel in sermone mutavero, ab interpretis videbor officio recessisse." Et post multa, quae nunc prosequi otiosum est, etiam hoc addidi: "Quod si cui non videtur linguae gratiam in interpretatione mutari, Homerum ad verbum exprimat in Latinum. Plus aliquid dicam: eundem sua in lingua prosae verbis interpretetur: videbis ordinem ridiculum, et Poetam eloquentissimum vix loquentem."

Lezione 28.

Ex 3,21-22

Daboque gratiam populo huic coram Aegyptiis: et cum egrediemini, non exhibitis vacui: / sed postulabit mulier a vicina sua et ab hospita sua, vasa argentea et aurea, ac vestes: ponetisque eas super filios et filias vestras, et spoliabitis Aegyptum.

Agostino, *De doctrina christiana*, 40, 60

Ab ethnicis si quid recte dictum, in nostrum usum est convertendum.

Philosophi autem qui vocantur, si qua forte vera et fidei nostrae accomodata dixerunt, maxime Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tamquam ab iniustis possessoribus in usum nostrum vindicanda. Sicut enim Aegyptii non tantum idola habebant et onera gravia, quae populus Israel detestaretur et fugeret, sed etiam vasa atque ornamenta de auro et de argento et vestem, quae ille populus exiens de Aegypto sibi potius tamquam ad usum meliorem clanculo vindicavit, non auctoritate propria, sed praecepto Dei, ipsis Aegyptiis nescienter commodantibus ea quibus non bene utebantur 61; sic doctrinae omnes Gentilium non solum simulata et superstitiosa figmenta gravesque sarcinas supervacanei laboris habent, quae unusquisque nostrum, duce Christo, de societate Gentilium exiens, debet abominari atque devitare, sed etiam liberales disciplinas usui veritatis aptiores et quaedam morum praecepta utilissima continent, deque ipso uno Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos. Quod eorum tamquam aurum et argentum quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis divinae providentiae, quae ubique infusa est, eruerunt, et quo perverse atque iniuriose ad obsequia daemonum abutuntur, cum ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre Christianus ad usum iustum praedicandi Evangelii. Vestem quoque illorum, id est, hominum quidem instituta, sed tamen accomodata humanae societati qua in hac vita carere non possumus, accipere atque habere licuerit in usum convertenda Christianum.

Lezione 29.

Confessiones 1, 1, 1-2

Magnus es, Domine, et laudabilis valde: magna virtus tua et sapientiae tuae non est numerus. Et laudare te vult homo, aliqua portio creaturae tuae, et homo circumferens mortalitatem suam, circumferens testimonium peccati sui et testimonium, quia superbis resistis; et tamen laudare te vult homo, aliqua portio creaturae tuae. Tu excitas, ut laudare te delectet, quia fecisti nos ad te et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Da mihi, Domine, scire et intellegere, utrum sit prius invocare te an laudare te et scire te prius sit an invocare te. Sed quis te invocat o nesciens te? Aliud enim pro alio potest invocare nesciens. An potius invocaris, ut sciaris? Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credunt sine praedicante? Et laudabunt Dominum qui requirunt eum. Quaerentes enim inveniunt eum et invenientes laudabunt eum. Quaeram te, Domine, invocans te et invocem te credens in te; praedicatus enim es nobis. Invocat te, Domine, fides mea, quam dedisti mihi, quam inspirasti mihi per humanitatem Filii tui, per ministerium praedicatoris tui.

Et quomodo invocabo Deum meum, Deum et Dominum meum, quoniam utique in me ipsum eum vocabo, cum invocabo eum? Et quis locus est in me, quo veniat in me Deus meus? Quo Deus veniat in me, Deus, qui fecit caelum et terram? Itane, Domine Deus meus, est quidquam in me, quod capiat te? An vero caelum et terra, quae fecisti et in quibus me fecisti, capiunt te? An quia sine te non esset quidquid est, fit, ut quidquid est capiat te? Quoniam itaque et ego sum, quid peto, ut venias in me, qui non essem, nisi esses in me? Non enim ego iam inferi, et tamen etiam ibi es. Nam etsi descendero in infernum, ades. Non ergo essem, Deus meus, non omnino essem, nisi esses in me. An potius non essem, nisi essem in te, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia? Etiam sic, Domine, etiam sic. Quo te invoco, cum in te sim? Aut unde venias in me? Quo enim recedam extra caelum et terram, ut inde in me veniat Deus meus, qui dixit: Caelum et terram ego impleo?

Confessiones 3, 4, 7-8

Inter hos ego inbecilla tunc aetate discebam libros eloquentiae, in qua eminere cupiebam fine damnabili et ventoso per gaudia vanitatis humanae. Et usitato iam discendi ordine perveneram in librum cuiusdam Ciceronis, cuius linguam fere omnes mirantur, pectus non ita. Sed liber ille ipsius exhortationem continet ad philosophiam et vocatur 'Hortensius'. Ille vero liber mutavit affectum meum, et ad te ipsum, domine, mutavit preces meas, et vota ac desideria mea fecit alia. Viluit mihi repente omnis vana spes, et immortalitatem sapientiae concupiscebam aestu cordis incredibili, et surgere coeperam ut ad te redirem. Non enim ad acuendam linguam, quod videbar emere maternis mercedibus, cum agerem annum aetatis undevicensimum iam defuncto patre ante biennium, non ergo ad acuendam linguam referebam illum librum, neque mihi locutio sed quod loquebatur persuaserat.

Quomodo ardebam, deus meus, quomodo ardebam revolare a terrenis ad te, et nesciebam quid ageres mecum! Apud te est enim sapientia. Amor autem sapientiae nomen graecum habet philosophiam, quo me accendebant illae litterae. sunt qui seducant per philosophiam magno et blando et honesto nomine colorantes et fucantes errores suos, et prope omnes qui ex illis et supra temporibus tales erant notantur in eo libro et demonstrantur, et manifestatur ibi salutifera illa admonitio spiritus tui per servum tuum bonum et pium: Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem seductionem secundum traditionem hominum, secundum elementa huius mundi et non secundum Christum, quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Et ego illo tempore, scis tu, lumen cordis mei, quoniam nondum mihi haec apostolica nota erant, hoc tamen solo delectabar in illa exhortatione, quod non illam aut illam sectam, sed ipsam quaecumque esset sapientiam ut diligerem et quarerem et adsequerem et tenerem atque amplexarer fortiter.

Confessiones 8, 12, 29-30

Dicebam haec et flebam amarissima contritione cordis mei. Et ecce audio vocem de vicina domo cum cantu dicentis et crebro repetentis, quasi pueri an puellae, nescio: 'tolle lege, tolle lege.' Statimque mutato vultu intentissimus cogitare coepi utrumnam solerent pueri in aliquo genere ludendi cantitare tale aliquid. Nec occurrebat omnino audisse me usquam, repressoque impetu lacrimarum surrexi, nihil aliud interpretans divinitus mihi iuberi nisi ut aperirem codicem et legerem quod primum caput invenissem. Audieram enim de Antonio quod ex evangelica lectione cui forte supervenerat admonitus fuerit, tamquam sibi diceretur quod legebatur: Vade, vende omnia quae habes, et da pauperibus et habebis thesaurum in caelis; et veni, sequere me, et tali oraculo confestim ad te esse conversum. Itaque concitus redii in eum locum ubi sedebat Alypius: ibi enim posueram codicem apostoli cum inde surrexeram. Arripui, aperui, et legi in silentio capitulum quo primum coniecti sunt oculi mei: Non in comessionibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudiciis, non in contentione et aemulatione, sed induite dominum Iesum Christum et carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis. Nec ultra volui legere nec opus erat. Statim quippe cum fine huiusce sententiae quasi luce securitatis infusa cordi meo omnes dubitationis tenebrae diffugerunt.

Tum interiecto aut digito aut nescio quo alio signo codicem clausi et tranquillo iam vultu indicavi Alypio. At ille quid in se ageretur (quod ego nesciebam) sic indicavit. Petit videre quid legissem. ostendi, et attendit etiam ultra quam ego legeram. et ignorabam quid sequeretur. Sequebatur vero: infirmum autem in fide recipite. Quod ille ad se rettulit mihi que aperuit. Sed tali admonitione firmatus est placitoque ac proposito bono et congruentissimo suis moribus, quibus a me in melius iam olim valde longeque distabat, sine ulla turbulenta cunctatione coniunctus est. Inde ad matrem ingredimur, indicamus: gaudet. Narramus quemadmodum gestum sit: exultat et triumphat et benedicebat tibi, qui potens es ultra quam petimus et intellegimus facere, quia tanto amplius sibi a te concessum de me videbat quam petere solebat miserabilibus flebilibusque gemitibus. Convertisti enim me ad te, ut nec uxorem quaererem nec aliquam spem saeculi huius, stans in ea regula fidei in qua me ante tot annos ei revelaveras, et convertisti luctum eius in gaudium multo uberius quam voluerat, et multo carius atque castius quam de nepotibus carnis meae requirebat.

Lezione 30.

Pervigilium Veneris 1-12

Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras amet.

Ver novum, ver iam canorum, vere natus orbis natus est,
Vere concordant amores, vere nubunt alites,
Et nemus comam resolvit de maritis imbribus.
Cras amorum copulatrix inter umbras arborum 5
inplicat casa virentes de flagello myrteo:
Cras Dione iura dicit fulta sublimi throno.

Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras amet.

Tunc cruore de superno spumeo pontus globo
Caeruleas inter catervas, inter et bipedes equos 10
Fecit undantem Dionem de maritis imbribus.

Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras amet.
Ipsa gemmis purpurantem pingit annum floridis,
Ipsa surgentes papillas de Favoni spiritu
Urget in toros tepentes, ipsa roris lucidi, 15
Noctis aura quem relinquit, spargit umentis aquas.
En micant lacrimae trementes de caduco pondere:
Gutta praeceps orbe parvo sustinet casus suos.
En pudorem florulentae prodiderunt purpurae:
Umor ille, quem serenis astra rorant noctibus, 20
Mane virgineas papillas solvit umentis peplo.
Ipsa iussit mane ut udae virgines nubant rosae:
Facta Cypridis de cruore deque flabris deque Solis purpuris
Cras ruborem, qui latebat veste tectus ignea,
Unico marita voto non pudebit solvere. 25

Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras amet.

Ausonio, *Cupido cruciatus*, 45-64

Quas inter medias furuae caliginis umbram 45
Dispulit inconsultus Amor stridentibus alis.
Agnovere omnes puerum memorique recursu
Communem sensere reum, quamquam umida circum
Nubila et auratis fulgentia cingula bullis
Et pharetram et rutilae fuscarent lampados ignem. 50
Agnoscunt tamen et vanum vibrare vigorem
Occipiunt hostemque unum loca non sua nactum,
Cum pigros ageret densa sub nocte volatus,
Facta nube premunt; trepidantem et cassa parantem
Suffugia in coetum mediae traxere catervae. 55
Eligitur maesto myrtus notissima luco,
Invidiosa deum poenis. Cruciaverat illic
Spreta olim memorem Veneris Proserpina Adonin.

Huius in excelso suspensum stipite Amorem
Devinctum post terga manus substrictaque plantis 60
Vincula maerentem nullo moderamine poenae
Afficiunt. Reus est sine crimine, iudice nullo
Accusatur Amor. Se quisque absolvere gestit,
Transferat ut proprias aliena in crimina culpas.

Claudiano, *De raptu Proserpinae*, praefatio

Inventa secuit primus qui nave profundum,
et rudibus remis sollicitavit aquas,
qui dubiis ausus committere flatibus alnum,
quas natura negat, praebuit arte vias.
Tranquillis primum trepidus se credidit undis, 5
litora securo tramite summa legens:
mox longos temptare sinus et linquere terras
et leni coepit pandere vela Noto.
Ast ubi paulatim praeceps audacia crevit
cordaque languentem dedidicere metum, 10
iam vagus irrumpit pelagus caelumque secutus
Aegaeas hiemes Ioniumque domat.

Rutilio Namaziano, *De reditu* 1, 511-526
Lutea protulerat sudos Aurora iugales:
Antemnas tendi littoris aura iubet.
Inconcussa vehit tranquillus aplusia flatus,
mollia securo vela rudente tremunt.
Adsurgit ponti medio circumflua Gorgon 515
inter Pisanum Cyrnaicumque latus.
Adversus scopulos, damni monumenta recentis:
Perdus hic vivo funere civis erat.
Noster enim nuper iuvenis maioribus amplis,
nec censu inferior coniugiove minor, 520
impulsus furiis homines terrasque reliquit
et turpem latebram credulus exul agit.
Infelix putat illuvie caelestia pasci
seque premit laesis saevior ipse deis.
Num, rogo, deterior Circaeis secta venenis? 525
Tunc mutabuntur corpora, nunc animi.